
CHRISTIANI ADOLPHI KLOTZII

MISCELLANEA CRITICA.



TRAIECTI AD RHENUM.
Apud Viduam W. KRONII
ET
W. H. KROONIUM,
MDCCLXIII.





PRAEFATIO.

Animadverti ego ſaepe, valde tenuiter homines de iis libris exiſtimare, in quibus veteres auctores emendantur, compluresque ſibi moleſtiſſimam illorum lectionem videri dicere memini. Atque ipſe non nego, vehementer mihi diſplicere Criticorum quorundam inſtitutum, qui, quascunque ipſis, ſcriptorem aliquem legentibus, dea neſcio quae inſuſurravit, coniecturas, neque neceſſarias illas, neque ſemper ingenioſiſſimas, calide proferunt, non cauſas, cur mutandum cenſuerint aliquid, edunt, non aptis exemplis aut rem illuſtrant, aut ſuas opiniones confirmant, ſomniorum non ſuavisſimorum interpretationem ipſius lectoris ingenio relinquunt, praeter Manlianum illud dele & lege *nihil admodum addunt, immenſisque ferculis appoſitis, quibusque vel Polyphemus aliquis ſuffocari poſſit, ipſa copia lectoribus faſtidium movent. Quibus quemadmodum annua haec munuſcula, (nam*

* 2 *quid*

quid facilius, quam quotannis ſtramineum eiusmodi libellum edere?) lubenter remiſſuros eſſe viros doctos arbitror, atque etiam horum librorum lectionem parum utilem & iucundam eſſe puto, ita, qui aliam doctiſſimorumque hominum exemplis commendatam rationem ſequantur, atque ab iſtorum ieiunitate & fame, audacia etiam & crudelitate, abhorreant, omnino laude dignos iudico. Non ſolum enim valde acuitur ingenium legendis examinandisque eiusmodi opinionibus, multaque addiſcumtur egregia, ſed mirifice etiam formatur iudicium illud de his litteris, quod ſenſum venuſtatis, aut ſi mavis, guſtum, appellamus. Quare cum hae litterae, ut veriſſime a Quintiliano dictum est, ſolae omni ſtudiorum genere plus habeant operis, quam oſtentationis, eaedem fortaſſe gratiae Muſis & Fortunae pro Criticis agendae ſunt, quas pro Lexicorum conditoribus quemdam Deo egiſſe Bolingbrokius * *facete ſcripſit. De noſtro inſtituto non opus*

* I approve therefore very much the Devotion of a Studious man at Chriſtchurch, who was overheard in his oratory entering into a detail with God, as devout Perſons are apt to do, and amongſt other particular thanksgivings ackvowledgin the divine Goodneſs in furinshing the world with Makers of Dictionaries. *Lettr.* 1. *p.* 6.

pus est ut multa dicam. Quid ſpectaverim, quos ſecutus ſim, facile quivis intelliget. Complures quidem opinionum noſtrarum in Actis Eruditor. Lipſ. (*in quibus* principes operas longe melioribus auſpiciis collocaſſem, *ſi* Therſitem Amſtelaedamenſem

Ὅς ῥ' ἔπεα φρεσὶν ᾗσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ᾔδη
Μὰψ, ἀτὰρ οὐ κατὰ κόσμον ἐριζέμεναι

laudaſſem) *ibi igitur complures propoſui quidem, ſed & reieci alias, alias mutavi, omnes copioſius explicui, & novas addidi non paucas. Quoties a viris doctis diſſenſi, modeſte, ut & mea natura fert, & horum ſtudiorum elegantiam decet, illud feci. Si quis hac libertate, hoc diſſenſu offendatur, nae ille acerbior eſt, & legem iniquam miſeramque conditionem harum litterarum ſtudiis inſtituit. Si quis, quod tamen vix credo fieri poſſe, atrocius nobiscum agere nosque ad pugnam provocare velit, illum gladiatorem ſine adverſario victoremque, me non modo non repugnaturo ſed oblaturo etiam palmam, fore praedico. Sic enim exiſtimo, ſic mihi perſuaſi, parum utilitatis ex his concertationibus re-*

dundare, nihilque magis agrestibus quorundam Criticorum moribus & feritate nostrarum literarum laudem & decus obscurare atque deprimere. Qua de causa manebo etiam in proposito, quod nuper professus sum, istum*que meum*; *quanquam quid dico meum? istum omnium bonorum inimicum contemnere pergam. Quemadmodum Aristotelem cuidam, qui multa nugatus fuerat, excusanti se quaerentique, an molestus fuisset, respondisse legi: non mehercule! non enim attendi, ita etiam istum iurisconsultissimum Herculem parum me commovisse sentio conviciorum sordibus & spurcitiis. Melius profecto est, hominem istum, omnibus vitiis contaminatum, irato Genio & Deo vindici nefariorum scelerum relinquere, quam diutius eiusdem improbitatem & imperitiam castigare, adeoque hominem ad insaniam, a qua non procul abest, redigere. Quod vero multa de me mentitus, quod maligne verba mea interpretatus est, quod mala fraude quamplurima loca e scriptis meis excerpsit & corrupit, quod operarum errores, eosque dudum a me indicatos, mihi tribuit, neque irascor, neque aegre fero. Neque enim hominem hoc malo animo fecisse, sed ebrietatem istius menti oculisque caliginem offudisse credo. Quod denique me turpissimis conviciis petiit, non*

mi-

miror. Insitum hoc animo istius malum est, innatum, auctum scurrarum consuetudine, quibuscum in deliciis & mollitiis aetatulam egit, quodque non facilius exuet, quam aut rabidus canis latrandi aut truces ursi murmurandi lubidinem. Etsi igitur iste omnium odio dignus sit, miseret me tamen hominis omnium perditissimi, cuius conviciis nihil unquam respondebo, quem aeternum valere cupio, quem, ut capripedem, ad cuius similitudinem scitula forma proxime accedit, Satyriscum in ocellum utrumvis inter lagunculas, ferulas, chartulas, corollas dapsiles, libellos, calamos, caliculos conquiescere, stertere, aut, cista absconditum lepidissime grunnire iubeo. Mihi istam, sive conviciandi rixandique libidinem, sive, dignam Grammatici supercilio, intrepidi animi virtutem, sive quocunque rem nomine appellare volueris, si virtus est, deesse, si vitium, abesse, lubenter fateor, nihilque ego pluris aestimo aestimaboque unquam conscientia mentis meae, quam a Deo accepi, quam nemo mihi suo clamore eripiet aut labefactabit, quaeque quamdiu mihi bonorum consiliorum & factorum testis erit, hilaris semper, laetus & cum honestate vivam.

Γραμ-

PRAEFATIO.

Γραμματικοὶ Μώμου στυγίου τέκνα σῆτες ἀπάντων
Τελχῖνες βίβλων, Ζηνοδότου σκύλακες
Συνδέσμων λυγρῶν θηρήτορες, οἷς τὸ μὶν ἢ σφὶν
Εὔαδε, καὶ ζητεῖν εἰ κύνας εἶχε Κύκλωψ.
Τρίβοισθ' ἐς αἰῶνα κατατρίζοντες ἀλιτροὶ
Ἄλλων· ἐς δ' ἡμᾶς ἰὸν ἀποσβέσατε.

CHRIS-

CHRISTIANI ADOLPHI KLOTZII MISCELLANEA CRITICA.



C A P. I.

Anacreontis locus vindicatur, in Hesiodo vulgata lectio defenditur.



Saepe mihi animadvertisse videor, prae aliis Gallicos Criticos corrigendis mutandisque veterum auctorum locis ingenii gloriolam aucupari, idemque hanc rem plerisque infeliciter cedere intellexi. E multis, quibus abundant *Acta Academiae Parisinae Inscriptionum* unum exemplum proferam. Apud Anacreontem in *C. IV.* εἰς ἑαυτὸν editiones exhibent:

Πρὶν, ἐρῶ σε, δεῖ μ᾽ ἀπελθεῖν
Ὑπὸ νερτέρων χορείας.
Σκεδάσαι θέλω μερίμνας.

Displicet haec lectio Sevino, qui in *T. II. Actor. n.* 25. corrigit: χορεύσας: *curas saltatione dissipare volo.* Videamus, quam recte. Primum constat e veterum opinione choreas in elysio celebrari. Sic apud Virgil. *Aen. VI. vs.* 644.

Pars pedibus plaudunt, choreas & carmina dicunt,

& Tibull. *I,* 3, 59.

Hic choreae cantusque vigent —
Hic iuvenum series teneris immixta puellis.
Ludit.

vid. Cuperum in *Monim. antiqu. p.* 240. & in *addend. p.* 293. infpiciatur *Valer. Flac. Argon. I. extr.*

> *ubi thiafique chorique virorum.*
> *Carminaque.*

At, dicit, Sevinus, Anacreon nullam immortalitatem credidit, fed animum una cum corpore putavit extingui. Ita etiam fenfiffe videtur Barnefius, ut ex Baxteri notis coniicio, cuius verbis utamur etiam ad Sevinum refutandum: *Vnde novit hoc fuiffe Anacreonti ironice prolatum, atque illum nullos credidiffe manes more fui feculi?* Praeterea etiam Anacreontem credidisfe tartarum & inferos apparet e *C. LVIII.*

> Διὰ ταῦτ' ἀνασαλύζω.
> Θαμὰ, Τάρταρον δεδοικώς.
> Ἀΐδεω γάρ ἐστι δεινὸς.
> Μυχὸς, ἀργαλέη δ' ἐς αὐτὸν.
> Κάθοδος. κ. λ.

Quid clarius? Minori mutatione fcribere potuiffet Sevinus χορείως. Sed nihil mutandum effe patet. Porro in Hefiodi ἔργων vs. 299.

> Ἀλλὰ σύγ' ἡμετέρης μεμνημένος αἰὲν ἐφετμῆς
> Ἐργάζευ, Πέρση, δῖον γένος·

non probat Sevinus τὸ δῖον, quod verbum non tribui poffe fratri, eique fæpius reprehenfo, & hominibus tantum vel natalibus vel rebus geftis claris dari exiftimat. Sed ut bene Clarkius ad *Hom. Od. M.* 104. ubi δῖα χάρυβδις occurrit, notavit, quid-

quidquid quavis de causa eximium est, δῖος dicitur. Idem hoc verbo hominem quovis nomine præstantem notari docet ad *Od.* ξ. 22. & 3. ubi δῖον ὑφορβὸν habemus. Vide eundem ad *Od.* π. 1. & *Il.* Z. 16. ubi etiam ostendit, δῖος non ad probitatem morum, sed ad pulchritudinem, nobilitatem, alia referri, atque, præter Clericum ad Hesiodi locum, Stanleium ad *Aeschyl. Prometh.* 18. *p.* 720.

C A P. I I.

Minucii Felicis Octavius emendatur & illustratur.

Magna laude dignum est ingenium *Io. Gottlieb Lindneri* Viri Cl. cui elegantem Minucii editionem debemus, e qua multo acumine, varia lectione & accurata Latinarum litterarum scientia virum optimum instructum esse facile intelligitur. Atque si minus *Lindnerum* amarem, si hanc amicitiam minus prae me ferrem, si maleuolorum mores parum nossem, qui laudes, quas amico tribuas, non veritati, sed amicitiae datas existimant, adderem plura de eius virtutibus. Nunc quidem iubet de aliquot Minucii locis sententiam meam dicere, & veniam orem Te, amicissime *Lindnere*? Dedit dabitque illam mihi humanitas Tua, de qua cogitanti mihi nunc totam hanc scriptionem iucundissimam fore sentio.

C. 1, 3. Dubitas, Vir Cl. an *discedere* simpliciter dicatur pro mori? Quidni? Nosti *abire* hoc sensu frequenter legi, neque Te latet illud Festi: *Abitionem antiqui dicebant mortem*, ubi consule Scaligerum. Sic etiam Phaedrus, *IIII.* 9. 16. *Abiturus*

rus illic, quo priores abierunt, Lucretius *III. Denique saepe hominem paullatim cernimus ire.* Quoties vero Graeci ἀπιέναι & ἀπελθεῖν sic dicunt? vt Ariſtides, *pro Quatuorv. p.* 248. ἐν ἐπεβίω Περικλῆς, καὶ μὴ πρότερον ᾤχετο ἀπιών. Et quoties Plato mortem vocat πορείαν? πορεύεσθαι eodem ſenſu dici docet Eſnerus, in *obſ. ſacr. ad Luc. c. XIII. v.* 33. *p.* 241. qui etiam ad *Luc. VIIII.* 31. docet ἔξοδον & ἐξιέναι ita dici. Vid. Dougtaei *Anal. Sacr. P. I. exc.* 97. Sic etiam οἴχεσθαι & ἐξοίχεσθαι eſt apud poetas idem, quod mori. Vide Caſaubonum ad *Laert. II.* 4. & Io. Chriſt. Wolfium ad *Poetriar. octo Fragment. p.* 113. Et quoties pariter Antoninus, vt *II.* 11. ὡς ἤδη δυνατοῦ ἐξιέναι τοῦ βίου & ἐξ ἀνθρώπων ἐξελθεῖν vbi plurima contulit Gatakerus, quem etiam vide ad *V.* 29. *p.* 212. & *VI.* 56. *p.* 255. De verbo *diſcedere* vide Barthium ad *Stat. Theb. VIIII.* 559. vbi etiam notat, Q. Septiminum *diſceſſum Herculis* dicere pro morte illius. adde Pareum in *Lex. Crit. p.* 8. Cic. *Tuſc. I.* 8. *Sunt enim, qui diſceſſum animi a corpore putent eſſe mortem*, & ibidem, *qui* diſcedere *animum cenſent, alii ſtatim diſſipari alii diu permanere, alii ſemper.* Et de leg. *I. Certe longe a tuis aedibus inambulans poſt* exceſſum *ſuum Romulus. Julio Proculo dixit ſe deum eſſe.* Valla *l. V. c.* 95. *de eleg. Eodem modo dicitur deceſſit, quo dicitur defunctus, ut ſubintelligatur vita.* Vide etiam Torrentium ad *Sueton. Aug. c.* 101. Barthii *aduerſ. l. XXXXII. c.* 9. & *l. X. c.* 20. atque Weizium ad *Valer. Flacc. VII.* 341. Heinſium & Burmannum ad *Petron. c.* 42. *p.* 259. Sed nimis multa de re nota.

C. 2, 5. *& cum eximia voluptate molli veſtigio cedens arena ſubſideret*] Cur Vir. Cl. τὸ *mollis*, quod Wowerus in edit. Rom. invenit, reiicis? Equidem

dem inter omnes interpretationes mihi fere nullam, minime vero Cl. Gruneri, perobscuram profecto & contortam probari fateor. Lege vero *mollis*, & omnia erunt faciliora. Neque Te omissione particulae & offendi posse credo, qui eiusmodi exempla in Minucio frequenter occurrere nosti. vid. c. 3, 10. & alibi. *Mollis arena* bene dicitur, vt apud Ouid. *Amor. II.* 12, 47. *Inque tori formam molles sternentur arenae Met. II.* 577. *molli nequicquam lassor arena*: & in *Ibin.* 423. *Vsque per alternos vnda labente recursus subtrahitur presso mollis arena pedi*, quem locum velim consideres & cum Minucii hoc compares. Paullumne nunc magis mea opinio Tibi arridet? *Vestigium* enim sumo pro ipsis pedibus aut plantis. Sic Statius *Theb. II.* 11. *It tamen & medica firmat vestigia virga*, ubi plura exempla collegit Barthius. *Tibull. IIII.* 1, 13. *Laeta Molorcheis posuit vestigia tectis*, & ib. 2, 7. *quoquo vestigia mouit*, vbi vide elegantissimum Heynium in obseruatt. vide etiam *Burmannum* ad *Ouid. Met. VIII.* 570.

C. 5, 5. *aut stuprare religiosum*] Attente hunc locum consideraui, examinaui etiam atque etiam verborum vim, neque tamen mihi hunc locum sanum esse persuadere potui. Rigaltius, vt notasti Vir Doct. interpretatur hoc verbum per: quasi stuprum terrae inferre, in viscera eius penetrando. Quis hoc probet? Si de homine sermo esset, qui thesauros in terra quaereret, qui aurum & argentum & metallum effoderet, tum fortasse facilius haec formula tolerari posset. At quo modo de inquisitione rerum naturae ita dicas? Tu vero *stuprare* explicas per corrumpere, quod tamen me non assequi fateor. Illud videris indicare voluisse: non religiosum esse haec scrutari, & inde multos erro-

res trahere eosque disseminare. Sed cogita quaeso, an haec significatio huic verbo tribui possit? Ciceronianum illud, *stupratum iudicium* & ad ἅπαξ λεγόμενα pertinet, (nisi velis Tertulliani *stuprandis moribus orientia theatra Apol. c. 6.* aut *adulteras doctrinas. de praescript. adv. haeret. c. 6.* vid. Cl. Heumannum in *Act. Erud. Lips. Suppl. T. VI. S. V.* p. 199. huc referre) & notionem corrumpendi longe habere videtur mihi aliam, quam Minucianus locus. Video, quid Te ad defendendam hanc lectionem impulerit: modestia Tua & verecundia in mutanda codicum scriptura, quam religionem laudo vehementer. Neque tamen dubitabo, quid sentiam, dicere. Suspicor Minucium scripsisse *disputare*, quod compendio fortasse litterarum a librario primum expressum *dictare* & deinde ab aliis in *stuprare* mutatum mihi esse videtur. Primum hanc mutationem non violentam esse, apparere arbitror. Deinde hoc modo sensus fit optimus. Considera totam orationis seriem: *ut neque, quae supra nos coelo suspensa, sublata sunt, neque quae infra terram profunda, demersa sunt, aut scire sit datum, aut scrutari permissum, aut disputare religiosum:* i. e. cum non fas sit, non pii hominis & religiosi, disputare de illis, proponere in sermonibus, declarare &c. Videtur ipse sensus tale verbum postulare. *Disputare* vero casui quarto adiungi, satis notum est. Cic. *pro leg. Man. c. 22. libenter haec disputarem. de Natur. Deor. III. 40. & ea, quae disputaui, disserere malui, quam iudicare. de Orat. I. 25. neque haec in eam sententiam disputo. Plaut. Men. prol. v. 50. vt hanc rem vobis examussim disputem*, atque sic etiam dicunt *disserere* vid. exempla apud Cortium ad *Sallust. Bell. Catil. V. 9. instituta maiorum disserere* & ad *Cic.*

ep.

ep. VIIII. 5, 4. adde Burmannum ad *Phaedr. V. prol.* 12. & Drakenborch ad *Liu. XXXXI.* 6. 4. & *XXII.* 54, 8. atque Bunemannum ad *Lactant. Diu. Instit. L. I. c.* 1. 10. qui de τῷ *disserere* plures locos excitauit. Denique fac in memoriam reuoces simillima loca Minucii *XII.* 7. *multo magis denegatum est disserere diuina*, & *XVI.* 6. *aegre se ferre imperitos de rebus coelestibus disputare ib.* 9. *si quicunque de diuinis quaerat, sentiat, proferat, quum non disputantis auctoritas, sed disputationis ipsius veritas requiratur.* Aliorum *sciscitari* non probo, quoniam iam *scrutari* adfuit. Sed optime Tu, Vir Cl. de mea coniectura iudicare poteris.

Ibid. 6. *vltra humilitatis nostrae terminos euagamur, & in terram proiecti coelum ipsum & ipsa sidera audaci cupiditate transcendimus* &c.] Minucius mihi videtur expressisse Horatiana *l.* 3. *Audax omnia perpeti gens humana ruit per vetitum nefas — nil mortalibus arduum est; coelum ipsum petimus stultitia.*

C. 7, 4. *Curtius, qui equitis sui vel mole vel honore hiatum — coaequauit*] Interpretaris Vir Cl. *equitis sui* per *mole sua qui equus erat.* Sed vt libere dicam non puto quemquam tam dura appositione vti posse, vide quae Heinsius ad *Claudian. Bell. Gild.* 139. & Burmannus ad *Virg. Ecl.* 3. 3. 7. 16. & passim, dicunt. Si Minucius dixisset: *qui sui vel sua equitis*, tum facilius tolerarem hanc lectionem. Sed nihil certius esse puto sententia Burmanni ad Virg. *Georg. III.* 116. vbi recte reprehendit, qui hoc loco *equitis* interpretentur per equi, seque Wouwerii coniecturae: *Curtius, qui equi sui mole vel onere libenter* accedere dicit.

C. 8, 3. Male agere puto, quicunque τὸ *inlicitae* mutent, nec caussam video. Quidni ethnicus potuit Christianos *inlicitam factionem* dicere, no-

ćturnas congregationes inftituentes, ut paullo poft Caecilius ait, deos defpuentes, Sacra ridentes, plebem concitantes, aliaque agentes, quae vulgo ethnici calumniabantur.

Ibid. 4. Licetne diffentire Vir Clariffime? Romanos Chriftianos humanas carnes edere mentitos effe conftat. Idem Caecilius crimen hoc loco profert: & *inhumanis cibis* — *foederantur*. Tu legis *humanis*. etiam ego fic legerem, fi codicum adeffet auctoritas. Quae cum refragetur, vulgatam defendere conabimur. Credo autem dicere poffe *humanos* cibos, Caecilium *inhumanos*, id eft, quos ipfa natura hominis refpuit, a quibus homines abhorrent; qui feras, non homines, delectant. Sic etiam infra c. 30, 4. *Mercurio Gallos humanas vel inhumanas victimas caedere.* Caue enim affentiaris ibi Cel. Heumanno, haec verba gloffema exiftimanti. Rectius idem *vel* pro *vel potius* pofitum effe addit. Quintil. *XII.* 9, 10. *Turpis voluptas & inhumana & nulli audientium bono grata.*

Ibid. 6. *ita illis pauorem fallax fpes folatio rediuiuo blanditur,*] Bene & acute hunc locum interpretatus es. Poffis eum leui mutatione etiam fic corrigere: *ita illis pauorem fallit fpes folatio rediuiuo blandita.* Sic etiam Ouid. *Met. XIIII.* 121. *Cum duce Cumaea fallit fermone laborem. VI.* 60. *ftudio fallente laborem* & *III.* 295. *ftudio minuente laborem*, vbi etiam codex vnus habet *fallente*, quod probo, atque etiam *Trift. III.* 2, 16. *Fallebat curas aegraque corda labor.* Plura habet Cortius ad Plin. *V.* 6, 14. Cum etiam codex praeferat *folatia rediuiua* poffis legere pro *blandita mentita*. Sed ipfe fateor, longius hanc mutationem a veftigiis fcripturae recedere.

C. 10, 2. Sic etiam, apud Origenem contra Celfum

Celſum L. VIII. accuſat Celſus Chriſtianos βωμοὺς καὶ ἀγάλματα καὶ νεὼς ἱδρύεσθαι φεύγειν vbi compara reſponſionem Origenis cum Minucii defenſione.

C. 10, 4. *Romanis numinibus*] Cenſeo reponendam eſſe alteram cod. lectionem *nominibus*, quae verba paſſim a librariis commutata eſſe docet pluribus Drakenborch. ad *Sil. Ital. XVI.* 655. Burmannus multis exemplis ad *Virg. Aen. IIII.* 94. & Oudendorp ad *Lucan. I.* 405. Puto vero idem eſſe, quod *Romanis*, quae periphraſis ſimplicis verbi praecipue apud Liuium ſaepe occurrit, ut *II.* 28. *Inſtigando ſuos quisque populos effecere, vt omne Volſcorum nomen deficeret*, & c. 35. *Is tum princeps Volſci nominis erat.* vid. Barthii *Aduerſ. p.* 2876. Heinſium ad *Ouid. Epiſt. II.* 50. & Cortium ad *Salluſt. B. J.* 39, 2. Sic etiam Graeci ὄνομα dicunt de perſonis, de qua ſignificatione vide Raphelium in *Annotat. Polybian. ad Act. I.* 7, 15. Vides igitur, eumdem eſſe huius lectionis ſenſum, qui eſt alterius: *hominibus*.

C. 12, 3. *non tum agnoſcis fragilitatem? inuitus, miſer, infirmitatis argueris, nec fateris?*] Pone, quaeſo, interrogationis ſignum poſt *inuitus*, melior ſententia videtur. Tu vero, haec vbi pateris, nonne, vel contra voluntatem ſentis & intelligis &c.

Ibid. 4. *ignes etiam, quos & praedicitis & timetis.*] Vide, Vir Doct. an ſcribendum ſit *praedicatis?* i. e. felices vos exiſtimatis, qui propter doctrinam Chriſtianam igne comburamini, (vt ſupra, *ſpernunt tormenta praeſentia*) timetis vero etiam hoc ſupplicium, atque ideo in occulto ſacra facitis.

C. 13, 9. recte Wopkenſius τὸ *alteram* tuetur,

& pro *alterutram* poni docet. Vide Burmannum ad *Ouid. Art. III.* 520.

C. 16, 6. *Nec fortuna nactos, sed natura insitos esse sapientiam.*] Placet mihi emendatio tua: *insitam habere*, & magis placet Cel. Heumanni coniectura. Sed *τὸ habere* videtur mihi longius a scriptura codicum recedere. Turbarum fons videtur esse *τὸ nactos.* Quare cogitavi, an forte pasfive sit sumendum, vt apud Hyginum frequenter, & *Fab. VIII. occasione nacta*, & *Fab. XXVIII. qui ab Apolline nacti sunt interfecti*, ideoque scribendum: *nec fortuna nactam, sed natura insitam esse sapientiam*, quemadmodum etiam non semel *adeptus* pasfiue vsurpatur. Vid. Barthii *Aduersar. p.* 1217. Poteris autem alio modo huic loco succurrere, si legas: *n. f. n. f. n. insignitos esse sapientia.* Quam facile *instos* librarius scribere potuit, quod deinde in *insitos* transiit? Certe inter omnes coniecturas virorum doctorum nostra minimum a ductu litterarum recedit.

C. 17, 12. Pulchre defendis V. D. *recta montium* contra correctores. Est enim hoc verbum hoc loco nihil aliud, quam *erectum*, de qua significatione praeclare disputat Oudendorpius ad *Lucan. II.* 509. vide etiam Burmannum ad *Ouid. Nuc.* 73. & ad Petron. *c.* 73. *p.* 467. edit. Sec. adde Barthium ad Stat. *Sil. I.* 2, 27. & *Theb. I.* 186. Sic *Theb. V.* 665. *Affuit Hippomedon rectoque Erymanthius ense*: notat Scholiastes Barthianus: *erecto, ut cuspide feriret. Recta montium* dicitur, vt apud Apuleium *Met. I. ardua montium & lubrica vallium & roscida cespitum & glebosa camporum*, aut apud Curt. *VII.* 11. *aspera saxorum.* vid. Scioppii *Verisim. III.* 1. res satis nota est.

C.

C. 20, 3. Viam me inueniſſe arbitror componendi turbas, quas interpretes de hoc loco excitauerunt. Mutandum, aut aliquid addendum eſſe nego. Potius tantummodo diſtinctionem pono poſt *monſtruoſa.* —*Vt temere crediderint etiam alia monſtruoſa. Mira miracula; Scyllam* — *illis erat libenter audire.* Videsne, doctiſſ. Lindnere, plana nunc omnia eſſe & facillima?

C. 21, 1. Recte Tu edidiſti: *eadem mecum recognoſcés* neque enim τὸ *re* abundat, ſed eſt explicandum: iterum cognoſcere, in memoriam olim nota reuocare, vt pulchre exponit Burmannus ad *Virg. Aen. VIII.* 721.

Ibid. 22. Exemplis *quaſi ut* adde Apuleium *Apol. I. Satis, vt puto, crinium crimen, quod illi, quaſi vt capitale intenderunt, refutatum eſt.*

Ibid. 15. Recte V. D. defendis lectionem *barbatus locatur.* Aliquoties ita Ouidius dicit: ut *Faſt. III.* 615. *Perque Deos comites, hac nuper ſede locatos.* Ad *Liu.* 61. *Ille vigil ſumma ſacer ille locatus in arce.* Ex *Pont. IIII.* 9, 129. *Tu noſtras audis inter conuexa locatus ſidera — preces.* Etiam in *Metam. XV.* 818. *Vt Deus accedat coelo templisque colatur:* habent alii codices *locetur*, quod omnino probandum eſt. Quintil. *VII. Pr.* 2. *Neque enim, quamquam fuſis omnibus membris, ſtatua ſit, niſi collocetur.* Graeci fere ita dicunt ἱςάναι vt χαλκοῦν, χρυσοῦν ἱςάναι τινα vid. Stephanum Berglerum ad *Alciphron. I.* 30. χρυσοῦν σε ςήσαιμεν.

C. 20, 1. Bene credo poetis tribui auctoritatem, non iis noſtrae aetatis, quorum ſacculus plerumque plenus eſt aranearum, quique panem atrum ex iure heſterno vorant, (ſed delectabantur etiam iure atro ſapientiſſimi homines Lacedaemonii Τῶν δὲ ὄψων, ait Plutarchus, ἐνδοκίμει μάλιςα

παρ'

παρ' αὐτοῖς ὁ μέλας ζωμὸς vid. Meursii *Miscell. Lacon. L. I. c. 8*) Sed iis antiquis. Cogita primum, poetas fuisse quasi Theologos veterum, eorumque carminibus totam religionem popularem contineri. Cogita eos etiam fuisse Philosophorum principes & *sapientes* dictos (vid. Petri Nanni *Misc. L. I. c. 5.* Manutium ad *Cicer. Tusc. Quaest.* 1, 5. Casaubonum in *Animadu. in Athen. L. I. c.* 12. & Krebsium ad *Plutarch.* περὶ ἀκούειν *p.* 109.) atque σοφούς: vid. Olearium ad *Philostratum de vita Apoll. Tyan. I.* 20. & Lowthum de *Sacra poesi Hebraeorum, Prael. IV. p. 69. ed. Gotting.* (nisi velis dicere, graece dici σοφὸν, quicunque in arte aliqua, licet sit βάναυσος, excellat. vid. *Dauisium ad Max. Tyr. Diss. VIII. p.* 90.) quorum sententiis plurimi disputationes suas distinguebant, quos saepissime laudabant &c. Nihil dicam de auctoritate eorum apud Ictos. Nam quoniam illi consuetudines primi in carminibus descripserunt, quasi prima corpora iuris condidisse videbantur. Qua de auctoritate poetarum vid. Strunzius in *dissertat. de auctoritate Homeri atque Virgilli apud Ictos.* Et addam Megareos cum Atheniensibus de Salamine contendentes Homeri versu victos fuisse? Loca scriptorum collegit Clarkius ad *Homeri Il. B.* 558. Sati'n Tibi collegarum meorum auctoritatem videor ostendisse? Sed fuimus eheu! Troes. Quamquam etiam illud tenere debemus, esse ventrem ingenii largitorem, quod vere quidem dixit Persius, nescio tamen an vlli collegarum suorum persuaserit, quos si recte noui, non multum eos abhorrere puto a Nicolao, Abbate Panormitano, qui, auctore Erhardo ad *Petron. c.* 135. mentione librorum *de bono paupertatis* facta in Gloss. Jur. Canon. ita ἐπιφωνεῖ, *A tali bono custodi nos Domine!* Custodiat igitur poetas! C.

C. 23, 1. & *Iuba Mauris volentibus Deus est.*] Recte Tu quidem Vir Cl. dicis, Mauros omnes reges suos habuisse pro Diis. Vide egregie & hoc & totam Iubarum historiam explicantem Ezech. Spanhemium in immortali opere *de Praestantia & Usu Numismatum T. I. Diss. VIII. 2. p.* 543. vbi inter alia dicit: id vero obiter praeterire hic non licet, eam Iubae filii, —— venerationem apud Mauros post eius obitum resedisse, vt in Deorum numerum fuerit ab iis continuo relatus. Id utique ab ecclesiasticis scriptoribus, Lactantio —— ac Minucio Felice aperte traditur. Haec ille.

C. 23, 1. *Otiosum est ire per singulos.*] De hoc loco quid sentires, iam mihi per litteras Vir Cl. exposuisti. Mea sententia haec est. Clare apparet Minucium dicere; nolle se longiorem esse, aliorumque deorum historiam persequi. Iam puto minime hoc indicari hac formula, cui aliam vim tribuo: nempe, otium habeo ad reliqua describenda & explicanda. Hic mihi sensus verbi *otiosus* esse videtur. Quare puto nos vel sic rescribere debere: *odiosum est*, vel, quod malim, *otiosorum est*, quasi librarius scripserit *otiosum*. Et tunc foret sensus: Is, qui otio abundet, singula accuratius explicet, non ego. Prouocasti Tu quidem in elegantissimis litteris Tuis ad duo locos, qui Tibi fauere videntur. Sic, inquis, Tertullianus *Apol. c.* 10. *Nec ego per singulos decurram, tot ac tantos; nouos, veteres, barbaros —— militares, (otiosum est etiam titulos persequi) vt colligam in compendium.* Num hic etiam pro *otiosum est* reponere audes *otiosorum?* vel apud *Lactantium II.* 4, 20. qui allegatis aliquot eorum exemplis, qui deos spreuerunt, addit: *otiosum est persequi singula.* Habent profecto haec aliquam vim. Sed ipsam naturam verbi

verbi huius, quaeso, Tecum considera. Quomodo potest idem valere, ac *otiosorum* est? Attende locum Taciti *Annal. XIII*, 3. *annotabant seniores, quibus otiosum est, vetera & praesentia contendere.* Quid hoc loco *otiosum* est aliud, quam quibus otium est, quibus licet ob otium &c.? Nonne igitur Minucius, si illud, quod Tu vis, dicere voluisset, scribere debebat: *non otiosum est*? Et quid, si etiam duo loci a Te laudati ob compendiariam scripturam corrupti fuerunt?

Ib. 7. Sine fine digladiabuntur Critici, vtrum *praestinguere*, an *praestringere* sit scribendum. In omnibus equidem locis, vbi hoc verbum occurrit, codices variare obseruaui. Vtrumque igitur auctoritate aliqua defendere poteris. Vide interim Drakenborch. ad *Sil. Ital. I.* 358. & Oudendorp. ad *Lucan. I.* 154. Arntzenium ad *Aurel. Victor. de or. R. c.* 14. & summum virum, Gesnerum ad *Quintil. X.* 1, 30. Copiosissime de tota re, quantum scio, egit vir olim egregie doctus Christ. Gotl. Schwarzius in *Obseruat. Philolog. ad Claudii Mamertini Panegyr. p.* 33.

C. 24, 4. non opus est τ. *ridenda quam multa* ita capere, quasi sit exclamantis oratio, aut cum Cl. Heumanno signum, vt aiunt, exclamationis adscribere. Sumamus potius sic, vt saepe dicitur: *nimium quam*, *oppido quam*, *satis quam*, de quibus vide Gronouium ad *Gell. V.* 14. & Pareum in *Lexico Crit.* sub voce *nimium quantum*.

C. 25. *a nescio quo Febris dedicata.*] Vide docte de hac re agentem Hadrian. Junium in *Animaduersis L. III. c.* 1. Et quid miramur? etiam Lacedaemonii Mortis, Risus & Timoris templa, Pudoris & Famis simulacra habuerunt. Vid. Meursium in *Misc. Lacon. L. I. c.* 6.

C.

C. 26, 10. *Angelos — eiusque Dei venerationi nouit assistere*] nota versus auctoris carminum Orphicorum (quisquis ille fuerit) apud Clementem Alexandrinum *Strom. L. V. p.* 608. Σῷ δὲ θρόνῳ πυρόεντι παραστᾶσιν πολύμοχθοι Ἄγγελοι, οἷσι μέμηλε, βροτοῖς ὡς πάντα τελεῖται.

C. 33, 2. *Reges tantum regni sui per officia ministrorum, uniuersa nouere.*] Ego nihil muto. dele commata & τὸ *tantum* non aduerbialiter, sed adiectiue per *tantillum* explica, omnia erunt facilia, vt Apuleius *Met. II. Vt tantillum animalis* (mustela) *prae nimia sui fiducia mihi turbauerit animum.* Reges, vt regnum suum, exiguis spatiis inclusum, cognoscant, omnium ministrorum indiciis opus habent: at Deus &c.

C. 27, 6. *Haec omnia sciunt plerique vestrum, ipsos daemonas de semet ipsis confiteri, quoties a nobis & tormentis verborum & orationis incendiis de corporibus exiguntur.*] Similiter Cyprianus: *O si audire eos velles & videre, quando a nobis adiurantur, & torquentur spiritualibus flagris & verborum tormentis de obsessorum corporibus eiiciuntur &c. cont. Demetrium*, 201. *ep. ad Donatum p.* 3. adde Tertullianum, *Apolog. c.* 23. & 30. vide etiam interprett. ad *Petron. c.* 118. *p.* 208. *edit. Burman. alter.* Occurrit etiam locus Iuuenalis *Sat. VI. aut curuum sermone rotato Torqueat enthymema.*

C. 37, 1. Miror neminem pro *irridens* rescripsisse *irridet.* Est enim haec verborum constructio Minucio familiaris, & totum locum a correctionibus interpretum vindicat. Apage Gronovii *implens.* Verum vt hoc obiter dicam, animaduertisse mihi videor Jacobi Gronouii, nescio quas antiquas formulas & obsoleta verba proferentis, coniecturas plerumque infelicissimas esse, & quas com-

commemorare idem est ac refutare. Cel. Heumannum valde ingeniosum esse non nego. Sed sibi interdum nimium indulget, & a scriptura longius saepiuscule recedit. Verum haec condonanda sunt maioribus praestantissimi & doctissimi viri meritis in rem litterariam, quae aut stultus sit aut maleuolus, qui non agnoscat. Certe non ferendus est anserinus quidam, qui in dissertat. *de Peripateticorum nomine* petulantius in venerabilem senem inuectus est. Sed memini istum tum a Lipsiensibus meis satis & merito castigari.

Ibid. 12. *in Scenitis etiam* &c. haec si quis plenius intelligere cupiat, legat, quae Cassiodorus, *Variar. I.* 27. & Sidonius *epist. III.* 13. super hac re memoriae prodiderunt.

C. 38, 9. *Fruamur bono nostro & recti sententiam temperemus.*] Nondum concoquere possum hanc vocem. Neque tamen violentiorem Cel. Heumanni coniecturam probo. Puto Minucium scripsisse *teneamus*, i. e. firmiter atque constanter retineamus veram sententiam, quod etiam τὸ *fruamur* stabilire videtur. De significatione hac verbi *tenere* multis agunt Heinsius & Burmannus ad *Ouid. Met. II.* 104. adde Cortium ad *Plin. I.* 20, 13. Alia vis est formulae *tenere caussam*, de qua consule Drakenborchium ad *Liu. XXXVIIII.* 4, 3.

C. 39, 3. *Etiam tamen nunc aliqua consubsidunt.*] Nosti, Vir Doctissime quoniam librarii litteras *O* & *V* promiscue vsurpauerunt, *con* saepius pro *cum* scriptum esse, vid. Guil. Best. in *Rat. emend. leg. I.* 3, 3. & Herm. Noordkerk in *Obseruation. Decade p.* 19. vbi copiose de hac re agit. Quare etiam suspicatus sum, forte legendum esse *cum subsidunt* i. e. quoniam aliqua restant, nos de iis crastino die agemus. Certe hac ratione bene cohaeret

haeret oratio. Sed fortasse immerito Latio proscribit Cl. Heumannus verbum, licet exemplo simili destituamur. Nam, si quoduis verbum, quod semel tantummodo occurrat, reiiciamus, vereor, ne complura nobis sint in Christianorum inprimis scriptorum libris expungenda. Composita cum *cum* sequioris aeui scriptoribus admodum familiaria sunt, ut Cassiodorus *congloriari*, *couti*, *columitare*, *compugnare*, *condescendere* &c. dixit.

Haec nobis in Minucium scripta sunto, quae vt Tibi, Vir Cl. & Doctiss. placeant, opto vehementer. Magis vero Tibi animum meum, Tui amantissimum, probari & placere cupio.

CAP. III.

Locus Alfeni Vari D. L. XXVI. de oper. libertor. vitio purgatur.

Vexatissimus Alfeni locus est: *Medicus libertus, quod putaret, si liberti sui medicinam non facerent, multo plures imperantes sibi habiturum, postulabat, ut sequerentur se, neque opus facerent*, quem quomodo sanare studuerint viri docti, ut Gr. Haloander, qui emendat *implorantes*, Fr. Duarenus & Casp. a Reies, nolo operosius commemorare. In Basilicor. *L. XLIX. Tit. III.* 25. *in Thesauro Meermanniano T. V. p.* 15. nihil inveni, unde lucem affunderem huic loco. Proxime a veritate abfuisse mihi videtur Andreas Alciatus, quem verbo *imperare* parendi forsitan significationem tributam fuisse suspicari, licet nullis veterum testimoniis usum, video. Atque hanc sententiam sta-

bilire videri possit locus Ciceronis in Epistolis ad *Div. IX. 25, 3. Nunc ades ad imperandum, vel ad parendum potius; sic enim antiqui loquebantur.* Verum hic locus est explicandus: ut tibi imperetur, quam passivam gerundii vim multis adstruit Cortius ad *Sall. B. J. LXII 8. cum ipse ad imperandum Tisidium vocaretur.* Adde Vossium ad *Caesar. B. G. II. 3. Senones ad imperatum non venire*, pro quo Vrsinus & Ciacconius malunt: *ad imperandum.* Quare potius perexigua mutatione facta pro *imperantes* lego *imperandos.* Nempe ut dativus hic positus sit pro ablativo cum propositione; talia exempla saepissime occurrunt, ut Horat. *Ep. I. 16, 25. si quis bella tibi terra pugnata marique dicat*, & *Carm. I. 6. Scriberis Vario*, atque bellissime Catullus: *Amata nobis, quantum amabitur nulla.* vid. Sanctium in *Minerv. III, 4. princ.* ibique Perizonium & Cortium ad *Sall. B. J. CVI. 2.* Existimavit igitur medicus si liberti non facerent medicinam, multo fore plures, quibus ipse imperaret: id est, qui ipsum advocarent, ipsum consulerent, se illi curandos permitterent. Ita mihi nulla aut difficultas aut obscuritas restare videtur.

CAP. IV.

Sulpicius Severus emendatur, explicatur, vindicatur.

De editione Sulpicii Severi, quam *Hieronymus de Prato* V. Cl. curavit, quid sentiremus, alio tempore copiose & accurate diximus, neque virtutibus, neque vitiis illius praeteritis. Ecce tibi nunc easdem observationes, auctiores tamen & emendatiores.

Vit.

Vit. Mart. 13. *Tetradii — servus daemonio correptus dolendo exitu cruciabatur.*] Non assequi me fateor horum verborum sensum. Nam paullo post dicit Sulpicius, Martinum imposita manu puero, immundum ab eo spiritum eiecisse. Quis est igitur *dolendus exitus?* non capio. Fuisset talis, si necatus fuisset servus a daemonio. Sed liberatus fuit illo. Quare puto legendum esse: *dolendo cruciatu exercebatur*, ut Cicero ait: *fortuna me multis variisque casibus exercuit*, & saepe alii, & quemadmodum *exerceri* saepe nihil aliud est quam exagitari, inquietari. Vid. Cortium ad *Plin. VI.* 6, 2. Alia res est in *Dial. III. c. 6. Tum vero cerneres miseros diverso exitu perurgeri.*

Ib. c. 18. *media in ecclesia* &c. Recte interpretur Vorstius *in templo*. Sic noster *H. S. II.* 41. *ecclesiam nostri obtinent* & 33. *Hierosolyma — magnificentissimis ecclesiis est adornata.* Vtuntur etiam frequenter verbo: *domus ecclesiae*, ut Gregor. Turonens. *Hist. Franc. I.* 39. *Succensa mulier a libidine — pergit ad domum ecclesiae per tenebras noctis cumque obserata omnia reperisset, pulsare fores domus ecclesiae coepit.* Eusebius etiam non semel dicit τῆς ἐκκλησίας οἶκον. Vid Isidor. Pelusiot. *L. II. ep.* 147.

Ibid. leprosum osculatus est atque benedixit, statimque omni malo emundatus est.] Novi haec explicari posse. Sed nonne oratio contorta est aliquantum? scribe *statim qui*: cum haec tum sequentia melius fluent.

Ib. c. 22. *Audiebantur etiam plerumque convicia, quibus illum turba daemonum protervis vocibus increpabat — testabantur etiam aliqui ex fratribus, audisse se daemonem protervis Martinum vocibus increpantem.*] Non placet repetitio eorundem verborum, etsi apud optimos scriptores talia exempla occur-

rere novi, & ipse contra τὸν πάνυ ostendi. Sed ideo me priori loco repetitio offendit, quoniam Sulpicius dicit, *convicia*, *quibus— increpabat* atque mihi & praeter necessitatem & contra elegantiam sermonis dictum esse videtur: *conviciis proteruis vocibus aliquem increpare*. Certe has voces in priori membro delendas esse arbitror.

Ib. c. 26. *Nullumque vacuum ab opere Dei tempus*, *quo vel otio indulserit*, *vel negotio.*] Cl. Prato, qui per *negotium* lites intelligit, quarum componendarum cura episcopis commissa fuerit, rem nimis ex alto repetit. Nam primum, quod ipse fatetur, Martinus hanc curam presbyteris suis mandavit: deinde *negotium* simpliciter opponi τῷ *otium* patet. Totus locus nihil aliud indicat, quam Martinum, sive negotiis quibusdam & operibus intentum, sive liberum negotiis, semper de deo cogitasse &c.

Ib. c. 27. *Non alii fuere insectatores eius*, *licet pauci admodum*, *non alii tamen quam episcopi ferebantur.*] Nescio cur Cl. Prato pro *fuere*, quam lectionem apertissimum mendum appellat, e codd. quibusdum rescribat *fere*. Certe illa altera repetitio τοῦ *non alii* clare ostendit, non *fere* alios, sed solos episcopos, licet paucos habuerit insectatores, sed solos tamen Episcopos fuisse. Ipsa vero haec dicendi ratio est valde elegans, ob mollem & dulcem repetitionem τοῦ *tamen*, cuius exemplum est etiam in *Dial. I.* 5. *Perge*, *quaeso*, *quanquam nihil magnificentius audire possimus*, *perge tamen Galle.* Non semel Cicero ita dixit: ut *pro Sext.* 19. *intenta signa legionum existimari cervicibus*, *ac bonis vestris*, *falso*, *sed putari tamen.* In *Vatin.* 15. *Age factum est horum aliquid in aliis: raro: sed tamen factum est. Philipp. II.* 41. *O tecta ipsa misera*, *quam dispa-*

dispari domino! quanquam quomodo iste dominus? sed tamen quam a dispari tenebantur. Ep. ad Div. VI. 6. *Vereor, ne desideres officium meum, quod tibi — deesse non debet, sed tamen vereor ne &c.* Adamasse hanc elegantiam Plinium etiam, e multis exemplis apparet, ut: *IX.* 30. *quae cuncta si facit iste, usquequaque laudandum est: si unum aliquod, minus quidem, sed laudandus tamen. VII.* 30. *quibus ex caussis precario studeo, studeo tamen. I.* 18. *iudicium differri nullo modo: istud aegre quidem, sed tamen potest.* Sic ille saepius. vid. Cortium ad *Sallust. B. C. LXI.* 2. & Cl. Arntzenium ad *Plin. Paneg. XXX.* 2. Graeci pariter. Euripid. in *Phoeniss.* 1455. φίλος γὰρ ἐχθρὸς ἐγένετ' ἀλλ' ὅμως φίλος. ubi bene Cl. Valkenarius laudat *Catull. III.* 6, 56. *Perfida, sed quamvis perfida, cara tamen.* Succurrit etiam e Charitone, *p.* 13. συνίημι ἤδη, κἂν μὴ λέγῃς, εἰπὲ δὲ ὅμως, & ex Alciphr. *L. III. ep.* 37. Καὶ ἔχω (Sic lego cum Berglero pro ἕζω) τὸν ἐξ ὕβρεως ἄνδρα. οὐχ ἑκοῦσα μὲν, ὅμως δὲ ἔχω.

Ib. c. 8. De servo laqueo suffocato & a Martino excitato: *mox vivifcente vultu, marcescentibus oculis in ora illius defunctus erigitur.*] Minus recte Cl. Prato hunc locum intellexit. Quivis videt nobis depingi hominem, qui sensim in vitam redit. Hic igitur animam priscumque vigorem recipit: vultus coloratur colore vitali, & oculi suum vigorem, sive ignem, iterum accipiunt. Quae cum ita sint, primum dicamus τὸ *vivifcente* retinendum, minimeque cum Pratone in *livifcente* aut *livescente* mutandum esse. Nam color lividus est suffocati laqueo proprius, non eius, qui revivifcit. Ille describitur a Paullino, cuius versus ideo perperam Prato ad stabiliendam coniecturam suam profert: hic commemoratur a Sulpicio. Deinde hinc ap-

 paret

paret eiiciendum esse verbum *marcescentibus* & probandam lectionem edit. Ald. *inardescentibus*. Tum marcebant oculi servi, cum exanimis iaceret: nunc superstrato corpori Martino & orante inardescunt. Nihil clarius. *Inardescere*, (ut apud Quintil. *XI.* 3, 2. *affectus omnes languescant necesse est nisi voce, vultu, totius prope habitu corporis inardescant* & Senec. *Herc. Oet.* 251. *Nunc inardescunt genae*) nihil aliud est, quam vigorem amissum redire incipere in oculos. Alias *ignis*, *ardere*, atque etiam *scintillare* usurpatur a poetis de oculis, si iratum nobis pingere volunt. Exempla collegerunt Heinsius ad *Ovid. Art. III.* 504. & Ciofanus ad *Met. III.* 33.

Dial. I. 1. *neque gravabor, quamlibet conserte vobiscum fabulari*] Hoc *conserte* minime placet. Et quomodo explicabis? *Consertus* est densus, commixtus, colligatus, coniunctus. vid. Heinsius ad *Ovid. Met. XIV.* 166. ibidemque Burmannus, & ad *Valer. Flacc. III.* 274. *super exangues consertae caedis acervos*. nec non Oudendorp. ad *Lucan. III.* 575. *conserta cadavera*. add. Drakenborch. ad *Liv. XXII.* 28, 10. & Snakenburg. aliosque ad *Curt. III.* 2. ubi etiam *conserere* & *conferre* saepe promiscue usurpata esse videbis? Quid denique est *quamlibet conserte?* nisi velis cum Pratone disiungere illud verbum, ut sit pro quantum libet. Quid multa? puto legendum esse: *quamlibet conferre vobiscum fabulam:* aut etiam *conferere*, si illud displicuerit. Arnobius *V. p.* 156. *altercabilem conserere sermonem* & Curtius *VIII*, 12, 9. *Ceterum sine interprete non poterat conseri sermo.* Illud non semel adhibuit Plautus, ut *Curc. II.* 3, 11. *Constant, conferunt sermones inter sese drapetae* & ponitur non addito verbo *sermo* pro colloqui, ut apud

Cicer.

Cicer. ad *Attic.* I. 20. *Coram inter nos conferemus.* Porro noster in *epist. ad Euseb. inter fabulas iuges longumque sermonem mentio incidit* &c. Sic etiam Tacitus *An. VI.* 5, 3. *neu convivalium fabularum simplicitas in crimen duceretur*, & auctor *Dial. de Orat.* 29, 5. *nec praeceptores quidem ullas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent.*

Ib. v. 12. *Faciam*, *inquit*, *Galle*, *&c.* Cl. Prato corrigit: *Sulpici*, sed excedit medicina modum. Sunt praecedentia verba, id quod iam Giselinus vidit, verba Galli, & τὸ *inquam* non indicat, Sulpicium hic loqui, sed est vox flagitantis vehementerque adhortantis. In errorem adductus esse videtur Prato, quoniam paullo superius post: *Ego autem* maiorem distinctionem posuit, quasi esset sensus: ego autem Sulpicius dico: sed est ibi continuatus Galli sermo: ego autem — graviter irascerer. Haec profecto est interpretatio huius loci verissima, quam me satis viris doctis probaturum esse spero. Sed fac etiam hanc sententiam & interpretationem falsam esse, vel sic verbum *Galle* retinendum erit. Cur enim statim librarium errasse dicamus? nonne Sulpicio idem accidere potuit, quod aliis scriptoribus? Notum est talia παροράματα apud optimos auctores inveniri, ut apud ipsum Ciceronem, in *L. V. de Fin.* ubi Pisonem loquentem inducit: *quando igitur & de voluptate cum Torquato & de honestate cum Catone est disputatum.* Recte autem interpretes observarunt, hunc sermonem non Pisoni sed Ciceroni convenire. Atque etiam in ipso Sulpicio simile exemplum mihi animadvertisse videor. Nam in *Dial. III.* 5. dicit: *Exigit id infidelitas plurimorum, qui in aliquibus, quae hesterno memorata sunt, nutare dicuntur.* At tertius dialogus, ut ipse Prato p. 226.

obſervat, aliquanto poſt editus fuit: & quomodo Sulpicius, qui die praecedenti uſque ad noctem dixerat, & ſummo mane colloquium, ut finxit, redintegravit, de infidelitate, prioribus demum dialogis editis perſpiciunda aliquid audire potuit & cognoſcere? ſentiſne? ſed fortaſſe non opus eſt ſubtiliori hac vulgatae lectionis defenſione.

Ib. c. 13. *Alia ibi germina nulla ſuccedunt*] male reſcribit Prato: *ſuccreſcunt.* Nam etſi hae voces a librariis alias etiam permutatae, id quod oſtendit Burm. ad *Ovid. Met. IX.* 713. & *XI.* 80. minime tamen haec vox loco movenda eſt *ſuccedere* dici puto de arboribus, ut apud Plaut. *Mil. III.* 2. 59. *lepide hoc ſuccedit negotium.*

Ib. c. 14. *quaſi impleto officio & præſtita conſolatione diſcedere*] corrigit Prato: *conſalutatione.* Nihil opus eſt. Nam infra eremita, ad quem lupa non amplius accedebat, *ægre patiebatur ſe alumnae ſolatio deſtitutum.* Ovid. *Faſt. L.* 441. *Intactae fueratis aves ſolatia ruris* &c.

Dial. II. c. 1. *Hoc ergo ſecretum— pauper ille captatum, cum ei archidiaconus dare tunicam diſtuliſſet, irrupit*] Perexigua mutatione pro *cum* lego *quam.* Intelligiſne hoc melius eſſe?

Ib. c. 4. *tum vero multitudo omnis Chriſtum Deum fateri.*] unus liber habet *Chriſtum Domini*, quam lectionem male mendoſam vocat Cl. Prato. Puto Sulpicium ita ſcripſiſſe atque reſpexiſſe ad verba Lucæ *II. niſi videret Chriſtum Domini.*

Ib. c. 7. *felices erunt, ſi a diſciplina exempli iſtius viri non recedant*] Lipſ. edit. habet: *exemplo. Peſſime*, ait Cl. Prato, immo optime. Quid enim *diſciplina exempli?* Quis ita locutus eſt, & quis intelligit hoc? Deinde ſenſus eſt hic: Felices ſi a diſciplina, quam eccleſia, quam religio praeſcribit,

quae

quae viros ſanctos Chriſtianos decet, non magis recedant, quam ille. Omnia luce meridiana clariora ſunt.

Dial. III. c. 2. *proclamat pater* —— *& fatebatur*] Quis ferat Pratonem ſe non dubitare dicentem, quin Sulpicius ſcripſerit *fatetur*? Age igitur innumerabilia loca nobis mutanda ſunt in poetarum omniumque ſcriptorum libris. Vide quæ dicant melius & accuratius Oudendorp. ad *Cæſ. B. G. I.* 46. & *V.* 11. 2. Drakenb. ad *Liv. III.* 4, 69. Cortius ad *Plin. II.* 14, 10. & *IX.* 13, 20. atque Burm. ad *Virg. Aen. II.* 12. *animus meminiſſe horret luctuque refugit*, & *III.* 3. *ceciditque ſuperbum Ilium & omnis humo fumat Neptunia Troia*, quibus quid opus eſt plura addere?

Ib. c. 6. *At in alia parte videres ſine interrogatione vexatos & ſua crimina confitentes*]. Mutato verborum ordine ſcribendum puto: *A. i. p. a. vexatos & ſ. c. ſine interrogat. conf.*

Ib. c. 8. *Illa beſtia mitem ſe atque tranquillum præſtabat*] ſcil. Avitianus. Sed talis loquendi ratio, ubi conſtructio non πρὸς τὸ ῥητὸν ſed πρὸς τὸ σημαινόμενον, ut aiunt, ſatis frequens eſt. Sic apud —— ſed vide potius Duckerum ad *Thucyd. II.* 47. & Kuſter. ad *Ariſtoph. Plut.* 292. ἀλλ' εἶα τέκεα θαμίν' ἐπανορθοῦντες.

Ib. c. 17. *non tamen tibi tanti ſint vel magnarum morarum ulla diſpendia, quin illic adeas.*] Aperte Sulpicius hæc, id quod neminem animadvertiſſe miror, tranſtulit ex Virg. *Aen. III.* 493. *Hic tibi ne qua moræ fuerint diſpendia tanta, Quin adeas vatem.*

Hiſt. Sacr. I. c. 13. *Hoc tractu temporum Job fuit, legem naturæ & agnitionem dei, & omnem iuſtitiam complexus*] Hic locus nondum ſatis explica-

tus, a Pratone vero parum intellectus videtur, qui e codice aliquo *lege* profert. Hornius maximo conatu nihil agit. Puto vero Sulpicium dicere: Jobum fuisse rerum naturalium scientia, quam Physicam dicunt, instructum: tenuisse illum ordinem & leges naturae &c. Atque sic puto Latine dici posse: sic Ovid. *Trist.* I. 8, 5. *Omnia naturae praepostera legibus ibunt.* Sic *leges* vocari certos modos, quos immutare non liceat, docent Broukhus. ad *Tibull.* I. 9. 67. Burman. ad *Valer. Flacc.* I. 213. & Oudendorp. ad *Lucan.* II. 2. *legesque & foedera rerum Praescia monstrifero vertit natura tumultu.*

Ib. c. 16. *populus — cum aqua penuria tentaretur.*] Nescio cur Prato malit: *teneretur.* Nonne ait Virgil. *Geor.* III. 441. *scabies tentat oves?* nonne Ovid. *Ep.* VII. 121. *Bella tument, bello peregrina & foemina tentor?* nonne Tacitus, *Annal.* IV. 46. *si nullo novo onere tentarentur*, atque Suetonius, non semel, *Aug.* 81. *praecordiorum inflatione tentabatur. Vesp.* 24. *Tentatus motiunculis levibus.*

Ib. c. 22. *Sed Jordanis flumen validissimum transitum prohibebat.*] Neque hic capio, quid egerit Cl. Prato, dum coniecit: *vadorissimum.* Quis enim, addens, *flumen validissimum unquam dixit?* at dixit Lucret. I. 292. *flumen validum*, dixitque Lucan. V. 618. *validos fluctus.* Praeterea ipsa res vulgatam lectionem postulat & confirmat.

CAP. V.

C A P. V.

De locis aliquot Horatii coniectura.

Placent mihi, quæ Baxterus ad Horat. *Serm. II*, 1, 72. *Virtus Scipiadæ & mitis sapientia Læli*, scribit. *Versus iste*, inquit, *vel Ennium vel Lucilium sapit, quem ut tumidum per transitum deridere videtur.* (licet de hoc, an versus tumidus sit, non audeo aliquid certi pronunciare) Idem de *vs.* 23. *L. I. Sat. VI. Sed fulgente trahit constrictos gloria curru* dicit: *videtur allegoricus iste versus ex aliquo poeta Epico desumtus*, & de *vs.* 40. *L. II. Sat. V. seu rubra canicula findet Infantes statuas* iudicat summus Gesnerus, rideri poetam, qui in descriptione vehementis æstus istum versum posuisset. Equidem præterea quatuor versus mihi animadvertisse videor, quos non Horatio tribuo, sed quos eum ex aliorum poetarum carminibus protulisse, ut tumidos, & ut ineptos irrisisse suspicor. Tales veto puto *Serm. L.* 1, 36. *simul inversum contristat aquarius annum: II.* 3, 223. *Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis; II.* 6, 25. *seu bruma nivalem Interiore diem gyro trahit.* Hunc vero versum: *In matris iugulo ferrum tepefecit acutum, II. S.* 3, 136. e tragoedia aliqua repetiisse videtur. Romanis quidem hi versus satis noti erant, neque igitur poetæ nomen Horatio addendum fuit. Nobis præter divinationem nihil relictum est. Sed puto ego apud Juvenalem quoque & Persium eiusmodi versus latere complures, quos indagabunt acutiores nobis.

CAP. VI.

CAP. VI.

Ovidius aliquoties tentatur.

In *Metam. V.* ubi Phineus & focii in Saxum mutati dicuntur, eft locus, ut ego puto, corruptus. v. 157.

Circueunt unum Phineus & mille fecuti
Phinea. Tela volant biberna grandine plura.
Præter utrumque latus, præterque & lumen & aures.

Lumen fumunt interpretes pro luminibus, five oculis. Sed contortum hoc mihi videtur, & nonne mire dictum eft, tela volitaffe præter oculos? immo coniicio: *praetexunt lumen & auras:* ita, ut poeta telorum copiam fatis ufitata formula indicet. Sic enim Claudian. *I. in laud. Stil.* 257. *Poenis iaculis obtexitur aer. Virg. IX.* 611. *fundunt fimul undique tela Crebra nivis ritu coelumque obtexitur umbra.* Vide plura congefta, confcripta, a Burmanno fecundo ad *Anthol. p.* 192.

In *L. IX.* 432. legitur.
Vos etiam, quoque hoc animo meliore feratis,
Me quoque, fata regunt.

Regius verborum ordinem facit hunc: fata regunt etiam vos, & me quoque, ut hoc meliore animo feratis. Sed quis non videt, quam difficilis & coacta hæc fit interpretatio? Potius hunc locum ita expono: Jupiter diis dicit; *tantumne fibi quis poffe videtur, Fata quoque ut fuperet? Vos etiam,* o dii,— fcil. regimini fatis. Eft hoc lo-

co

co ἀπειμίκησις, bene conveniens illa orationis atrocitati. Deinde si post *quoque* distinguendi signum deleas, oratio bene fluit.

L. VII. 622.

Forte fuit iuxta patulis rarissima ramis,
Sacra Jovi, quercus de semine Dodonæo.

Displicet non immerito viris doctis verbum *rarissima.* Nam τὸ *patuli* & τὸ *rarissima* hoc loco non possunt coniungi. Arbor enim patulis ramis rara, non est, ut Burmannus putat, quales raro videntur, (quomodo enim hunc sensum hoc loco invenies?) sed quæ paucos habeat patulos ramos. Iam Ovidius contrarium dicit huic. Neque tamen placet Heinsii *latissima:* multo minus Burmanni *clarissima.* Facilius credo locum emendari posse, si scribas: *gratissima.*

L. VIII. pr.

Iam nitidum retegente diem, noctisque fugante
Tempora Lucifero. (Male in Burm. ed. legitur *Tempore.*)

Nescio quid sit *retegere diem.* Quod vero Regius dicit, esse aperire & ostendere, neque hoc quid sit scio. Exempla a Ciofano allata nihil iuvant. Longe alia res *L. IX.* 794. *Postera lux radiis latum patefecerat orbem:* orbis, non dies potest aperiendo quasi ostendi. Exigua mutatione lego: *revehente. Am. I.* 13, 2. *Flava pruinoso quæ vehit axe diem*, de aurora & *Fast. III.* 518. *Purpureum rapido qui vehit axe diem.*

IX.

IX. 717.

Par aetas, par forma fuit: primasque magistris
Accepere artes, elementa aetatis, ab isdem.

Recte vidit Tan. Faber, ridiculum esse, si dicas, artes primas esse elementa aetatis, & erat par aetas, & accepere elementa aetatis. Hoc ille bene, sed medicinam adfert heu! crudelissimam: *elementaque prima sub isdem.* Immo leniorem nos faciamus, legamusque *alimenta*: ut est apud Ciceronem, *haec studia adolescentiam alunt.* vid. etiam Burm. ad *Quint. Inst. L. VIII. pr. p.* 656. Possis etiam legere *elementa ardoris*, quoniam statim sequitur: *Hinc amor ambarum tetigit rude pectus & aequum Vulnus utrique tulit.* Sed haec correctio violentior est.

C A P. V I I.

Mallius de metris emaculatur.

Probatur nobis, quem Cl. *Heusingerus* edidit, *Fl. Mallii Theodori de metris liber*, e quo aliquot menda tollere conabimur.

In praef. p. 8. *qui si solum syllabarum naturam ac modum temporum sibi consectandum putassent, obsoleta permulta atque absurda perissent*] nullum, certe vix probabilem, sensum ex hoc loco elicio, si verbum *perissent* retineo. Sin illud in *fecissent* aut *peperissent* muto, omnia faciliora mihi videntur.

Eod. loc. aurium voluntatem ab his metris — *divellendam non existimarunt.*] Litterula una mutata, lege *voluptatem.* Melius tum haec respondebunt iis, quae antea de delectatione & suavitate dicta sunt. Duae hae voces etiam alias in codd. permutatae fuerunt.

runt. vid. interpr. ad *Ovid. Art. III.* 617. En denique locum Quintiliani, *Inst. I.* 10, 4. *qui nec Geometren audiverint, nec Musicos, nisi hac communi voluptate aurium, intelligant.*

C. I. p. 11. *id enim ratio sermonis latini & pronuntiandi forma expetit.*] legendum esse arbitror *norma.* Verbum *forma* obversatum est librarii oculis e praecedentibus, ubi est: *secundum legem atque usum pronuntiandi informant.* Formulae huius apud Ovid. *Art. III.* 480. *sermonis publica forma placet*, alia ratio est, vid. ibi Burmannum, & consule eundem ad *Quintil. Inst. X.* 1. *init.* Memini legi apud eundem, *V.* 13, 5. *qui nulla certa pronuntiandi forma tenentur.* Sed est huius loci longe alius & diversus sensus.

C. 2. *p.* 13. Totum locum sic emendo: *Nam cum ars musica, quae est in omni vocis sono modulationis* (hoc enim verbum Mallio familiare pro *moderationis* ponendum esse censeo. in codd. *moderari* & *modulari* perpetuo fere confundi docet Burmannus ad Ovid. *Met. XI.* 154. & *Rem. Am.* 181.) *ac suavitatis inventrix, metricae quoque rationis princeps ac magistra sit, eadem vero ita nervos testudinis adiunxerit, ut eorum alii acutum, gravem alii sonum ederent*, eademque (sic scribo pro *eandem*) *vocum distinctionem tibiarum foraminibus aptaverit* &c. nam hoc posui pro *aptaverint.*

C. 6. p. 27. — *procul omnia repellere, quae ab auditorum delectatione discrepent, quamvis ea pedum ratione recipiant*] Cl. Heusingerus legit: *rationem.* non male. Malumus tamen: *ratio recipiat.* Sic dicit aliquoties Mallius, ut paullo infra: *c. 8. p.* 29. *prout uniuscuiusque metri ratio declarat.* Sequentia *c. 7. p.* 28. ita constituo: *Id tamen aurium sensu efflagitatur. Quemadmodum intromitti in metrum dactylicum* —

ana-

anapæstus non potest, ita metrum anapæsticum — *dactylo inhospitale.* Erit *accommodatissimus vero in hoc metro locus primus* & *ceteri atque omnes* &c. Quas mutationes vix cuiquam attentius totum locum considеranti displicere posse arbitramur.

C. 8. p. 29. lego sic: *Nam* ut nunc, quem *ab exordio proposuimus*, *ordinem persequamur*, *metrum choriambicum* &c. Certe hæc lectio propius ad veri similitudinem accedere videtur, quam quæ a Cl. Heusingero proposita fuit.

C. 11. p. 34. illud *prespiciens*, si in *perspiciens* mutetur, τὸ *ut* vero per *quomodo* explicetur fortasse in textu retineri potest.

C A P. VIII.

Animadversiones in Aurelium Victorem.

Multis laborat Aurelius vulneribus, quorum tollendorum caussa nuper illum attente perlegimus. Quæ tum nobis in mentem venerint, etsi nunc nobis excutere & accuratius examinare non liceat, huc tamen transferemus. Usi sumus editione, quæ cura Cl. *Gruneri* prodiit.

De orig. G. R. c. 1, 6. *quam* hoc *scribere coepimus.* lege *nos.* aliorum *antequam* ferri nequit.

C. 3, 2. *ad compositam vitam eduxit.* scribe *deduxit.* Cicer. *Acad. Qu. IV. Quæ tandem ea est disciplina, ad quam me deducas, si ab hac abstraxerit. Offic. I. c.* 32. *parentum præceptis imbuti, ad eorum consuetudinem moremque deducimur. Q. Cic. de Petit. Cons. c.* 10. *Da operam, ut illos de pravitate animi deducas.* & sic alii.

C. 4.

C. 4, 2. *qui illi orae faciunt.*] vide an legendum ſit, *qui illis orae fuerunt:* ut *oræ* ſit genitivus, quæ conſtructionis ratio frequens eſt. vid. Perizon. ad *Sanct. Min. IV.* 12, 11.

C. 6, 2. At mihi valde blanditur correctio Munckeri. Aurelius dicere debuiſſe videtur: Cacum omnes furandi cupiditate ſuperaſſe: non, illum præter alia vitia etiam furaciſſimum fuiſſe.

C. 8, 6. lego *tam religione, quam etiam pietate adductos*, pro *edoctos.*

C. 10, 2. ſed quid ſi *cognitam* idem hoc loco eſt, quam bene notam iam ſibi? aut ſi ſic explicemus locum: ne ſepeliret Prochytam illius morte cognita ſive audita in Italia. vide omnino Burman. ad *Ov. Met. XII.* 69.

C. 17, 2. *neſcio quantis*] eſt hoc inſulſum, atque eiiciendum omnino gloſſema.

Ib. 4. *Permiſſa diſceptatione eius rei ab univerſis rex Silvius declaratus eſt.*] mihi videtur legendum eſſe: *ſed miſſa d. e. r.* id eſt, omiſſa. Aliorum coniecturæ redeunt fere huc: *permiſſa diſceptatione ea plebi.* pro quo malim *remiſſa. Remittere* ſæpe idem valere ac permittere, concedere, docent Schulting. ad *Quintil. Declam. p.* 199. & Burm. *ib. p.* 39. Dukerus ad *Liv. XXXVIII.* 13, 3. Drakenb. *ib. ad VI.* 36, 2. & Io. Mich. Heuſinger, in *Emend. L. II. c.* 3. *p.* 196.

C. 14, 1. *Igitur Aeneam* &c. nihil mutandum eſt. *Plaut. Capt. I.* 2. *Iſtos captivos duos, here, quos emi de præda, his indito catenas.* Salluſt. *B. I.* 40. *M. Scaurum —— effecerat, ut ipſe eo numero crearetur.* Terent. *Eun. IV.* 3. 11. *Eunuchum quem dediſti mibi, quas turbas dedit.* vid. Bangii *Obſ. Grammat. p.* 977. 1316. Lesbonax, *p.* 183 *ed. Valck.* Perizon. ad *Aelian. II.* 13. & *Sanct. Minerv.*

 p. 130.

p. 130. 146. Dukerus ad *Thucydid. II.* 62, 64.

C. 23, 7. *noſtræ memoriae proclamans hiſtoria Liviana*] Etſi lubenter fatear, illa verba ſi deeſſent, bene defutura eſſe, omnino tamen ea reiicere, religioni mihi duco. Forte coniectura loco corrupto ſuccurri poteſt. Scribo primum: *noſtram memoriam* i. e. noſtrarum rerum hiſtoriam, ut infra *Caſ. c.* 20. 33. *ut ſane putant memoriae curioſi.* vide Cortium ad *Sall. B. I. IV.* 1. qui hæc habet: „ſequior ætas non modo pro commemoratione, ſed etiam pro hiſtoria & libris ſcriptis uſurpavit." Apul. de Mundo *p.* 72. *Probum illum, probum quem fictorem fuiſſe tradit memoria.* Minuc. Fel. c. 31. *Memoriæ & tragoediæ veſtræ incertis gloriantur, quas vos legitis libenter & legitis & auditis*, ubi plura Elmenhorſtius. Hæc ibi Cortius. Deinde *memoriam proclamare* Aurelius pro illius ævi Latinitate dixit fortaſſe pro res geſtas narrare, hiſtoriam commemorare. Poſſis etiam legere *propagans.* Sed ſatius videtur vulgatam retinere, utut parum elegantem lectionem.

De Vir. Ill. c. 4. 7. *ut vulnerum erat dolor.*] fortaſſe legendum eſt *ferebat.*

C. 12, 8. Parum abeſt, quin pro *a rea* ſcribam *ab ea.* Nam additur ſtatim: *quod in cæde peccaſſet.* unde, quoniam his cauſa exuſtionis manus indicatur, illud non neceſſarium eſſe videtur. Sed fortaſſe talia in hoc ſcriptore non ſunt ad vivum reſecanda.

C. 25, 1. *Fidenates fidei Romanorum hoſtes.*] Vellem ad manus nunc eſſet Cl. Arntzenii editio, quem Cl. Grunerus Annæ Fabri lectionem: *rei Romanorum* idonee reieciſſe dicit. Mihi quidem optimorum ſcriptorum exemplo Aurelius ſic loqui videtur. Sic ſæpe Ovidius, ut *Met. XIV.* 610. *Inde ſub Aſcanii*

ditione

ditione binominis Alba Resque Latina fuit. Ib. 809. *quoniam fundamine magno Res Romana valet. XIII.* 59. *Prodere rem Danaam finxit*, ubi alii cod. habent Danaum. *XV.* 437. *cum res Trojana labaret.* vid. Heinf. ad *VII.* 510. adde *rem* ſæpe idem eſſe, ac ſtatum rerum, de quo vid. Barthius ad *Stat. Theb. III.* 696. & *XI.* 550. atque Cortius ad *Sall.* B. *C. VI.* 3. & de formula *res Romana* conſule Drakenborch. ad *Liv. II.* 9. 5. ſed ideo hanc lectionem non probo, quoniam nullius codicis auctoritate firmatur atque etiam vulgata bene habet. Nam quid ſi Aurelius hoc dicere voluit: Fidenates diffiſos fidei Romanorum, nolentes cum iis amicitiam iungere, inimicos illorum fidei & amicitiae, legatos ad ſe miſſos &c?

C. 26, 3. quæ uncis incluſa ſunt *de quercu— liberaſſet* non ab Aurelio profecto, ſed primum a quodam margine codicis ſui inſcripta & tum male a librario in contextum recepta eſſe, quovis pignore contendere auſim. Quam inepte hercle! hoc loco auctor differentiam inter civicam & obſidionalem coronam expoſuiſſet. De re ipſa vide Gellium *N. A. V.* 6. Plin. *H. N. XXII.* 4. & *XVI.* 5. Plutarch. *Quæſt. Rom. p.* 285. *ed. Wech.* Vaillant. *Numiſm. Imp. T. II. p.* 369. & alios.

C. 56, 6. *ob huius licentiam & paupertatem &c.*] locum corruptum eſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Erat, cum legendum putarem *o. h. negligentiam.* ut apud Terent. *Andr. I.* 1, 44. *Inopia & cognatorum negligentia coacta*, qui locus huic ſimillimus eſt. vid. *Burm. ad Ov. Am. III.* 8, 65. Terentius etiam alio loco: *quem ipſe neglexit pater ego alam.* vid. Schulting. ad *Quintil. Declam p.* 704. *contentus es alterius parentis negligentia.* ibidemque Burm. Interpretabar vero ſic:

quoniam senatus non curam gessisset Paulli, amplaque illi retulisset præmia, inde factum esse &c.

C. 76, 8. *Quod cum tardius biberet* (Mithridates) *quia adversum venena multis antea medicaminibus corpus firmaverat*] non video, quo colore defendi possit *τὸ biberet*. Clarum est, Mithridatem, quoniam venenum tardius vim suam exseruerit, Gallum vocasse &c. Illam igitur lectionem scire velim quomodo defenderit Cl. Arntzenius. nam defendisse eam docet Grunerus. Ego puto *subiret* veram & rectam lectionem esse. Dicitur amor subire animum, & apud Ovid. *Pont. IV.* 15, 30. Ne *subeant animo tædia iusta tuo*, atque *Ep. XIX.* 26. *subit furtim lumina fessa sopor.* nonne etiam ita dici potest de veneno, pro pénetrare, pervadere corpus. Forte tamen ita defendi potest vulgata lectio, si dicas *bibere* sic sumi, ut venenum dicitur bibere, ebibere, exsorbere, haurire medullas alicuius, quum eas ingenti cruciatu consumat, ex Lucan. *IX.* 741. *Ecce subit virus tacitum carpitque medullas Ignis edax calidaque incendit viscera tabe, Ebibit humorem, circum vitalia fusum Pestis* &c. ubi Schol. *Ebibit: ideo & dipsos dicitur.* Notabilis e Græcis locus Sophoclis in *Trachin. vs.* 1061. de Hercule veste venenata cruciato: πλευραῖσι γὰρ προσμαχθὲν ἐκ μὲν ἐσχάτας βέβρωκε σάρκας· πνεύμονός τ' ἀρτηρίας ῥοφεῖ ξυνοικοῦν, ἐκ δὲ χλωρὸν αἷμα μου πέπωκεν ἤδη. vid. eruditissimum Schultensium ad *Iob. T. I. p.* 445. qui similia habet. Sed non adest hoc loco casus nominis. Alia ratio est loci Horatii *I.* 37. *ut atrum Corpore combiberet venenum*, locorumque ibi a Lambino datorum.

C. 77, 13. omnino probanda est vulgata *positus.* vide Heins. ad *Ov. Art. III.* 740. & sic saepe in lapidibus antiquis.

De

De Cæſ. c. 3, 8. *uti talia ingenia veteris ſolent anni menſibus*) vere Cl. Grunerus hunc locum corruptiſſimum & fere deſperatum appellat. Sed quid tentaſſe nocebit? Coniicio igitur *u. t. i. veros ſolent animos mentiri.* τὸ *mentiri* pro ſimulare poni notum eſt, ut Ovid. *Am. II.* 19, 11. *Ab quoties ſani capitis mentita dolores. Ep. XXI.* 183. *ſi non mentiris amorem.* & ſic ſæpe. vid. Erhard. ad *Petron. c.* 100. *p.* 610. τὸ *verus* ſumo pro integro, puro, iuſto, non ſimulato, ut Plinius dicit *IX.* 25. *viri graviſſimi, eruditiſſimi & ſuper iſta veriſſimi.* Terent. *Andr. II.* 5. *ſum verus*, quod interpretatur Donatus per *veridicus.* Sic ſæpe Ovidius & alii dicunt *veram fidem.* vid. Heinſ. & *Burm.* ad *Ov. Ep. XVI.* 60. *XVIII.* 119. & *Art. I.* 62. Cortius ad *Plin. II.* 10, 4. *III.* 6, 3. atque Cl. Longolius ad *VIII.* 2, 5. Interpretaberis locum ſic: quemadmodum homines eiusmodi ſpeciem viri boni, integri, & puri præ ſe ferre ſolent, ita etiam Caligula egregie. Olim putabam legi poſſe, *u. t. i. veterum ſolent animos mentiri.* ut noſter infra *c.* 20. *poſtquam ad veterum innocentiam, quaſi mentium ſanitatem pervenerant.* Sic Cicero pro *Roſc. Amer.* 9. *Homines antiqui, qui ex ſua natura ceteros fingerent.* vid. Victorius ad *L. VIII. ep.* 18. *ad Att.* Sic recte Cl. Longolius apud *Plin. II.* 9. 4. *vir ſanctus, antiquus*, interpretatur *antiquæ integritatis* & laudat *VII.* 33, 9. *cui exemplum ſimile antiquis contigiſſet.* Nec aliter Græci dicunt ἀρχαῖος pro ſimplici, candido, fideli &c. copioſe de hac ſignificatione agit Mauſſacus ad *Harpocrat. p.* 76. Δημοσθένης μὲν Φιλιππικοῖς φησιν, οὕτω δ' ἀρχαίως εἶχον, — ἀντὶ ἁπλῶς. & vide quos laudat Cl. Alberti ad *Heſych. p.* 562, 27.

Ib. 9. *ingenium exercuit.*] non mihi perſuaſit

Cl. Grunerus apte hæc exponi posse. Primum obstare videtur τὸ *repente:* & si vel explices exercere coepit, ipsum verbum exercere me offendit. Ego probo omnino Arntzenii coniecturam: *exeruit.* Possis etiam legere *extulit:* protulit, ostendit, tum videri poterat, qui qualisque esset. ut Virg. *Aen. I.* 127. *summa placidum caput extulit unda.* vid. Heins. ad *Ovid. ad Liv.* 222. & Burm. ad *Fast. II.* 149. Cogitavi quoque de verbo *erigere*, ut Sil. *Ital. IV.* 180. *erigere iras* & Stat. *Theb. VII.* 671. *erigere rabiem* dixit, ubi vid. Barthius, & Burm. ad *Quintil. Instit. VI.* 4. *p.* 570. *Exerere* vero & *exercere* sæpe a librariis confusa fuisse docet idem ibid. *IV.* 1. *p.* 310.

Ib. 20. *mortalium conatus vacuos a Fortuna cassosque esse*] cogitabam aliquando: *m. c. vanos absque F. c. e. vanus* enim & *vacuus* non semel librarii commutaverunt. vid. Oudendorp. ad *Lucan. IV.* 726. sed habet verbum *vacuus* eandem vim. vid. Heins. ad *Ov. Met. VII.* 786. Atque etiam cum *vacuus* indicet proprie idem, quod carens, destitutus, puto legendum esse *m. c. vacuos Fortuna cassos esse:* si careant conatus hominum bona Fortuna &c.

Ib. 5, 10. En difficillimum locum! Sine codicibus aliquid certi constitui posse nego. Ne silentio tamen ardua præteriisse videar, lego sic: *nequaquam verecundia externa societatis humanae datur. Peccandi c.* — *agit* sive *aget.* Sed mihi ipse non satisfacio.

Ib. 20. 6. *illum iustum nasci aut emori minime convenisse.*] Non video, quomodo hinc aptus sensus elici possit. Lego: *i. i. n. at emori m. c.* id est, iustum quidem, bonum, fas est, illum natum fuisse: minime vero eundem debuisse mori. Ne-

que tamen vel ſic video, quomodo hæc cum Sparriani verbis conveniant.

Ib. 11. Annæ Fabri lectio: *ſi tu hic eſſes*, valde mihi placet. Poſſis enim aut interpretari, ſi tu talis fuiſſes, de qua ſignificatione huius pronominis vid. Burm. ad *Valer. Flacc. VII.* 481. & ad Virg. *Aen. IX.* 481. aut δεικτικῶς ſumere, pro, ſi tu ego eſſes, de quo conſule Oudendorp. ad *Lucan. I.* 363. ſic apud Euripid. *Alceſt.* 736. οὐ γὰρ τῷδ' ἔτ' εἰς ταυτὸ ϛέγος, monet Barneſius τῷδε poſitum eſſe pro ἐμοί. pariter uſurpavit idem verbum ἀνὴρ, ut in *Med.* 1337. νυμφευθεῖσα δὲ παρ' ἀνδρὶ τῷδε, id eſt, ἐμοί. vid. Schultens. ad *Iob. T. I. p.* 280. & 342.

C. 23, 1. vide an ſub corrupto verbo *palatia* lateat *penates*. Sed nihil audeo. *ferendarum* expono, quæ iis perferendæ erant.

C. 35, 8. *prædæ conſcientia delictique*] legendum cenſeo *pretii* vel *præmii*, idque per *pœnæ* explico, quo ſenſu apud Comicos inprimis non raro hoc verbum occurrit: ut apud Plaut. *Menæchm. V.* 6, 9. *Verbero, compedes, molæ, magna laſſitudo, tumes, frigusque durum: hæc pretia ſunt ignaviae.* vid. Gronov. ad *Senec. de clem. VII.* qui habet quædam huc pertinentia, & Donatum ad *Ter. Andr. III.* 5. 4. *pretium ob ſtultitiam fero.* conſule docte agentem de hac verbi vi, Ez. Spanhemium ad *Callim. H. in Dian. vſ.* 263. ubi etiam Græcos μισθὸν ſic uſurpare docet. Coniectura Cl. Gruneri *pœna* eodem redit: ſed mea propius ad litterarum veſtigia accedit. De iis, quæ paullo poſt ſequuntur, codicum bonorum auxilium exſpectare, quam hariolari fruſtra malo.

C. 39, 4. Scriptoribus quos de verbo adorare laudat Cl. Grunerus, adde Briſſonium de *regn. Perſ.*

L. I. 16, 17. Freinshem. ad *Curt. VIII.* 5. Boecler. de *auspic. regio. III.* 3.

C. 41, 12. *formidandis* nullum omnino sensum habet. Schotti coniectura verissima est.

Epit. c. 1, 7. mihi unum idemque videtur, utrum *populi Romani* legas, an *populo R.*

Ib. 21. probo *leviter iracundus*, i. e. qui facile & levem ob causam effertur, accenditur ira &c. Nam, si *leniter iracundus* est is, qui regat iram, nescio an hoc huc pertineat, ubi Aurelius se de vitiis Augusti expositurum esse dicit.

Ib. 27. omnino legendum est *summam rerum*, vid. Oudendorp. ad *Lucan. V.* 26.

C. 4, 7. *Virgines scortorum modo secum proposuerat.*] Credo corrigendum esse: *prostituerat*. Nam supra de *Cæs. c.* 4, 7. ubi eadem historia iisdem prope verbis narratur, legitur: *nobiliores quasque nuptas & virgines scortorum modo secum prostituerat.*

C. 14, 9. *probavisset.* unice veram esse puto lectionem cod. Leid. *perpavisset.* Certe quomodo vulgata explicari possit non video: se ideo elaborasse, ne gravida ex illo fieret, quoniam immane illius ingenium sibi placuisset. Quæ sententia! *Probare & notare* sæpe a librariis commutata fuerunt. vid. Burm. ad *Ov. Ep. XX.* 20. & *Art. II.* 308. Quare putavi, non male fortasse hic legi posse *notavisset*: nempe quoniam crudele in illo ingenium animadvertisset, ideo noluisse se ex eo parere. Sed præstat procul dubio prior lectio.

C. 15, 4. lego *vultu sereno pulcher*, quemadmodum statim sequitur: *procerus membra, decenter validus.*

C. 41, 2. ego vero puto, facilius etiam ex τῷ *situm* elici posse *cito.*

C.

C. 43, 4. poffis etiam fic legere: *n. ú. s, i. m, d. ſt. amica, rei publicæ invidia & diſcordia e. p. p.*

CAP. IX.

Horatii locus explicatur.

Nunquam mihi fatis placuerunt virorum docto- rum interpretationes verſuum *Horatii, I.* 37,

Dum Capitolio
Regina dementes ruinas
Funus & imperio parabat
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum,

Omnium ingenioſiſſima mihi videtur ſententia *Jacobi de Rhoer* V. Cl. in *Feriis Daventriens. p.* 127. propoſita. Hic enim intelligit per gregem turbam Romanorum, qui ad Antonium & Cleopatram tranſierint, atque morbo turpium Aegyptiorum contaminati fuerint. Induiſſe illos horum turpes mores pravæque conſuetudinis contagione fuiſſe afflatos &c. Acuta, iterum dico, hæc interpretatio eſt, ſed forte nimis alte repetita. Mea ſententia hæc eſt: Primum dico: nullos intelligi alios, quam eunuchos, quique viri muliebria paſſi Antonium & Cleopatram comitabantur. Deinde ne quis miretur his morbum tribui, tenendum eſt, caſtratos ex veterum Stoicorum ſententia inter imperfectos relatos fuiſſe. Jam ſtoicum philoſophandi genus etiam ad Iuriſprudentiam tranſiiſſe, atque inprimis a Proculianis adamatum fuiſſe ſatis

conſtat. Hi igitur non ſolum caſtratos *morboſos* appellaverunt, ſed etiam Proculianorum princeps, Labeo, ſi ignoraverit emtor, caſtratum a ſe hominem emtum eſſe, hunc ut morbo affectum, redhibendum eſſe docuit. De tota re docte agit Gellius *N. A. IV.* 2. unde verba ipſa adſcribam: *De eunucho quidem quaeſitum eſt, an contra edictum aedilium videretur venundatus, ſi ignoraſſet emtor eum eunuchum eſſe. Labeonem reſpondiſſe aiunt redhiberi poſſe quaſi morboſum.* Vide præter alios de loco hoc Gellii Gravinam *de ort. & progr. Iur. Civ. XLVI. p.* 104. *ed. Lipſ.* & Io. Sam. Hering, *de ſtoica veterum Romanorum Iuriſprudentia Obſ. XVII. p.* 417. in *opuſc. de Sectis & Philoſoph. ICtorum*, edit. a Gottl. Slevogtio. Pathicos vero etiam *morboſos* dici docet Burmann. ad *Petron. c.* 46. *p.* 307.

C A P. X.

Notulæ in Axiochum.

Dialogum, qui *Axiochus* inſcribitur, quis compoſuerit, non una eademque virorum doctorum ſententia, neque nunc nos copioſius diſputabimus. Arbitramur vero, niſi Socraticum Aeſchinem, alium certe virum eruditum e Platonis diſciplina illius auctorem eſſe, eundemque elegantiſſimum eſſe libellum dicimus. Nunc quidem paucula notabimus.

Ὁ δ' ἐξ ἑταιρείας ἐραστὴς ἅμα καὶ ἐρώμενος] neque Perionius neque Wolfius vim verborum percepiſſe videntur. Si meliora diſcere cupis, conſule Dorvillium ad *Charit. p.* 27. qui locum aptiſſimum laudat

laudat e Luciani *dial. Mort. p.* 288. ἐνίκας, ὦ γαλατεῖα, οὐχ ἐραστὴν ἀλλ' ἐρώμενον ἔχειν τὸν πολυφήμον.

Ὁ γὰρ πατὴρ ἔκ τινος ὥρας αἰφνιδίου ἀδυνάταν ἔχει, καὶ πρὸς τῷ τέλει τοῦ βίου ἐστίν] Displicet mihi vehementer ὥρα αἰφνίδιος, quæ formula neque Cl. *Fischero* satis Græca videtur. Nisi nimis audacter facere videremur, rescriberemus sic. ὁ. γ. π. πρὸ ὥρας τοῦ βίου ἀδυνάτως ἔχει, καὶ πρὸς τῷ τέλει ἐστίν. Illud πρὸ ὥρας pulchre illustrat idem ad *Chariton. p.* 129. & Gatakerus ad *Antonin. I.* 17. *p.* 42. vide etiam Barthium, ad *Stat. Sylv. II.* 1, 54. & Burm. ad *Petron. Frag. p.* 879.

Ποῦ τὰ πρόσθεν αὐχήματα, καὶ αἱ συνεχεῖς εὐλογίαι τῶν ἀρετῶν, καὶ τὸ ἄῤῥητον ἐν σοί θάρσος] Stephanus reponit ἀῤῥηκτὸν. neutrum placet. neque enim fuit incredibili animi virtute Axiochus, sed gloriabatur tantum aliisque fortis videbatur, celebrabaturque talis: scribe igitur ἀεὶ ῥητὸν, quod etiam cum συνεχεῖς bene cohæret.

—— οἱς ἀναγκαστῶς ἅτε παρεσπαρμένη τοῖς πόροις ἡ ψυχὴ συναλγοῦσα] forte aliquis mallet: ἅτε παρεσπαρμένοις πόνοις.

Φράσαιμι ἄν σοι ταῦτα, ἃ μνημονεύσω· ἔφη γὰρ] libenter legeremus ἔφη δ' ἄρα, nisi dixeris, τὸ γὰρ hoc loco rationem reddere, de quo sæpe Clarkius ad Homerum, quod tamen nescio an hic commode fieri possit.

CAP. XI.

De Fragmentis Cornelii Nepotis Guelpherbytanis.

Diximus iam alio loco de Fragmentis Cornelianis, a V. Cl. *Iacobo Friderico Heusingero* editis, (*Guelpherbyti* 1759.) nostram sententiam ea, quae digna est harum litterarum studioso, libertate usi. Displicuit enim nobis Viri Cl. sententia multas ob caussas, &, ut sunt iudicia libera, cuivis potius quam Cornelio, elegantissimo Scriptori, illa tribuenda esse existimavimus. Dolemus vero maximopere, aegrius hoc doctissimum *Heusingerum* tulisse, quam nos speravimus, atque quae nos optimo animo scripsimus, a nescio qua *insectandi*, *conviciandi*, *insultandi*, *reprehendendi* libidine profecta esse, sibi persuasisse. Qua enim iniuria virum egregium affecimus? quomodo hoc iudicio illius famae detrahere potuimus? Fragmenta illa Cl. *Heusingerus*, Corneliana esse ait: nos negamus. Quis hoc non ferendum esse censebit? sumus homines, & quando nefas fuit dissentire de eiusmodi rebus? Quae igitur hic *insignis contumelia*, *eaque ingenuo animo nequaquam ferenda?* Ex animi sententia loquor. Semper ego Cl. *Heusingerum* virum harum litterarum, & Graecarum inprimis, peritum esse iudicavi, eumque, qui non solum *Heusingeriani* nominis famam bene tueatur, sed etiam hac tempestate in Germania rem litterariam egregie ornet & iuvet. Num praeclarius & honorificentius de illo sentire & iudicare possum? si vero quid exciderit mihi invito, quod durius esset, quo humanitas laedi videretur,

quo

quo ſe laceſſitum fuiſſe protervius iure Vir Cl. queri poſſet, illud ne dictum eſto. Sed faciamus lectoribus de tota re iudicandi copiam, atque primum ipſa Fragmenta adſcribamus, præſcripta codici Philippicarum Ciceronis orationum, undecimo, ut Cl. *Heuſingerus* cenſet, ſeculo ſcripto.

Cornelius Nepos in libro de hiſtoricis de laude Ciceronis.

N*on ignorare debes, unum hoc genus Latinarum litterarum adhuc non modo non reſpondere Græciæ, ſed omnino rude atque inchoatum morte Ciceronis relictum. Ille enim fuit unus, qui potuerit & etiam debuerit hiſtoriam digna voce pronunciare: quippe qui oratoriam eloquentiam rudem a maioribus acceptam perpoliverit, philoſophiam, ante eum incomtam, latinam ſua conformaverit oratione. Ex quo dubito, interitu eius utrum res publica, an hiſtoria magis doleat.*

Idem.

Locuples ac divina natura, quo maiorem ſui pareret admirationem, ponderatioraque ſua eſſent beneficia, neque uni omnia dare nec rurſus cuiquam omnia voluit negare.

De his fragmentis diſputavimus tum fere hæc: *Etſi* Cl. *Heuſingerus genuina* hæc eſſe Nepotis *monimenta, ex indiciis tam manifeſtis tamque conſentientibus elucere ſibi perſuaſit, ut neminem fore credat, qui de eorum integritate dubitet: etſi purum, elegans, diffuſum, maxime perſpicuum hiſtorici dicendi genus ita clare & ita aperte in his conſpici dicit, ut*

non

non peritos stili iudices solum, sed eos etiam, qui latinitatis antiquae & incorruptae non plane sint expertes, Nepotem hic agnituros esse confidat: nobis tamen, qui & Cornelium, & alios bonos scriptores satis legisse & antiquae Latinitatis non plane expertes esse nobis videmur, longe alia mens est. Sed docendum est, quare a viro docto dissentiamus. Iam primum lubet quaerere, quae tandem sint illa *indicia manifesta & consentientia? Heusingerus* quidem, quae tamen omnes & exspectabunt hoc loco, & suo iure poscent, nulla affert: nisi quae de Cornelii libris, de latinis historicis, & de studio, quod Cicero in historia patriae scribenda posuerit, huc referenda sint. Quibus minime contenti plura desideramus. Vellemus enim ita in his fragmentis exponendis versatus esset *Heusingerus*, ut nuper in Horatiana in Lucilii defensores Satyra, i. e. examinasset singula verba diligenter & accurate, ad Critices regulas exegisset, eaque & Latina & Cornelio digna esse ostendisset. Quae igitur ille omisit, nos agamus. Primum de toto orationis habitu etsi ex paucis versibus vix iudicari potest, non dubitamus tamen fore, ut, si quis unam atque alteram vitam, a Cornelio scriptam, legat, deinde haec fragmenta recitet, sonum nescio quomodo longe diversum & quasi peregrinum & barbarum in auribus sentiat. Verum hoc sentiri magis, quam verbis explicari potest. Faciant igitur periculum, qui teretes & doctas aures habeant. Deinde vero ex ipsa dictione nihil Cornelio, nihil Roma dignum spirare nobis videtur. Quem non offendet repetitio illa verborum *unus & rudis* nimis angusto spatio facto? Non ignoramus quidem, in optimis scriptoribus eiusmodi negligentiam & inveniri, & laudari quoque a peritis harum

harum rerum iudicibus, ut in pulcherrimo loco *Odyſſ. T. vſ.* 204. in nobili Ciceronis epiſtola ad Luccejum (L. V. 12.) & in Livio paſſim, ubi videndus Gronovius, & conſulendus cel. Dorvillius ad *Chariton. p.* 404. ſed & horum longe plerumque alia ratio eſt, & in Cornelio, ſi recte meminimus, nullum eiusmodi nobis exemplum occurrit. Quid vero eſt, cur Nepotem in his paucis verſibus a priſca dicendi ratione declinaſſe, nec ſuo more locutum eſſe dicamus? Quam parum illa: *qui potuerit & etiam debuerit: adhuc non modo non: nec rurſus cuiquam* aurea ætate digna! Quam dura omiſſio verbi *eſſe* in hoc: *omnino rude atque inchoatum Ciceronis morte relictum!* Hoc vero inſolentiſſimum: *hiſtoriam digna voce pronuntiare*, quis Cornelio tribuere audeat? Quam male poſitum verbum *Latinam: philoſophiam ante eum incomtam Latinam* — ſapitne deinde *philoſophiam latinam incomtam ſua oratione conformare*, non barbarum potius hominem, quam Cornelium elegantiſſimum ſcriptorem? Nos profecto ne intelligimus quidem hoc maxime perſpicuum dicendi genus. An denique *oratoriam eloquentiam perpolire*, an *ponderatiora beneficia*, an *hoc genus latinarum litterarum Græciæ reſpondet*, hæc an Cornelii ætatem redoleant, vehementer dubitamus. Vellemus, viri docti conferrent cum his fragmentum illud Livii de primo bello Punico, quod a *Matthaeo Klockio* in monaſterio Salemitano repertum eſſe dicitur, & in *Actis Societatis regiæ Pariſienſis T. V.* (*hiſtoire de l'Academie Royale des Inſcriptions & des belles Lettres*) exhibetur. Ibi enim, ut bene *Suchaeus* (*Souchay*) contra *Schoepflinum* demonſtravit, tale dicendi genus obſervabunt, quod huic ſimillimum, & ab eodem prope homine profe-

ctum

ctum esse videatur. Pudeat vero nos hæc fragmenta, nec latina, nec perspicua, nec Cornelio digna, purissimo & elegantissimo scriptori tribuere: potius reiiciamus hunc pannum, nisi nos omnia fallunt, ab homunculo otio nimio affluenti, purpuræ Cornelianæ assutum. Sed illud quoque addendum est: *Heusingerum* pro *sua conformavit oratione*, quod erat in codice, rescripsisse *sua conformaverit oratione*, & pro *locuplex*, *locuples* posuisse. Ceterum fatemur, acute suspicari *Heusingerum*, Cornelium fortasse Ciceronianorum carminum mentione facta, quam parum feliciter ei hoc studium successerit, commemorasse, & deinde addidisse: *locuples ac divina natura.* Sed de tota re, quid sentiamus, iam diximus.

Hæc sunt, quæ nobis olim super fragmentis his in mentem venerunt. Iudicent vero omnes, qui ubique sunt, an ægre ferre debuerit Vir Cl. hanc orationem meam. Vbi ego insultavi? ubi insectatus sum eum? Non nego, vehementer me mirari, atque indignari fere, virum doctum in *Vindiciis Fragmentorum* (*Guelpherb.* 1760.) dixisse: a me fragmenta Nepotis *traduci atque crebris acerbisque exclamationibus, quas argumentationis vim subiisse appareat, exagitari: me sine ulla, quam quidem agnoscere queat, ratione iudicium ipsius infamare, atque ita ipsum contemnere, ut gregi inficetorum magistellorum accenseam:* me *ipsum pueris eruditorumque vulgo deridendum, exsibilandum, explodendum propinasse.* Per deum! si quis hæc legat, iudicio meo non antea lecto, vehementer me in *Heusingerum* invectum esse, maximasque concitasse turbas credat necesse est. Quare, ut perspicerent lectores & iudicarent, an merito ille tam acerbe de mea inhumanitate questus esset, meam disputatiunculam

lam hic exhibendam esse duxi. Mei ingenii naturæque meæ indolem parum cognitam habet Cl. *Heusingerus*. Vtrum illa fragmenta a Cornelio, an a quovis alio profecta sint, ciccum non interduim. Dic illa Cornelii esse: doce illa Latina, & elegantissima esse: quantam utilitatem litterae hinc percipient? Iam nega & pernega, illa Cornelio & Roma esse digna: an verendum ideo est, nequid detrimenti res litteraria capiat? Neque hic de fama & nomine viri docti agitur. Ego quidem, longe ante, quam haec fragmenta ediderat, eruditum hominem Cl. *Heusingerum* esse censui. Quomodo etiam ille, qui haec fragmenta sibi minus probari dicat, famae *Heusingeri* detrahere videatur, non video. Nulla ego alia de caussa illa tum scripsi, quam ut acuerem lectorum animos, ut admonerem quosdam, ut attente illa considerarent accuratiusque examinarent omnia. Digladiari, vociferari, rixari de re, ut verum fatear, admodum parvi momenti nunquam mihi fuit propositum. Abhorret hoc non a natura tantum mea, sed etiam consuetudine. *Ob haec quidem levia & verba & litteras, quid alteri alteros flagellamus?* verissime scribit aliquo loco Lipsius cuius sapientissimas de eiusmodi concertationibus fugiendis sententias parum humanus est, qui non laudet maximopere. Age vero, paucis examinemus ea, quibus argumenta nostra, (nam quis in re tam levi verbum *crimina* ponat?) Vir Cl. diluere studuit.

Iam primum nondum nos poenitet dixisse, sentire aures nostras sonum quemdam peregrinum in his fragmentis. Nam, quod V. Cl. dicit, in hac antiquae pronuntiationis ignorantia parum aut nihil sentire aures nostras, quid molle aut durum

veteribus in sermone visum sit, illud nollem viro docto excidisset. Lubenter largior, nos ignorare veterum pronunciandi rationem: verum idem etiam contendo, si quis satis diu veterum libros legerit, si clara interdum voce Ciceronis, & qui aequales Ciceronis sunt, monimenta recitaverit, tandem hoc assecuturum esse, ut ipsarum aurium iudicio mollia, dulcia, dura, aspera, facile discernat. *Iudicium hoc totum aurium est*, scribit alio loco Christoph. Landinus, *modo illae eruditae sint.* Nolumus hic repetere, quae *Ludov. Strebaeus* & *Jovita Rapicius*, praestantissimi huius doctrinae magistri, super hac re disputaverunt: neque pulchrum Dorvillii ad *Charit. p.* 378. de hac re locum adscribemus. Ipse *Heusingerus* fatebitur, aliter aures suas affici, si Ciceronem, aliter, si Sallustium, aliter, si Livium, aliter, si Apuleium legat. Quod si nobis dat, ut dabit profecto, nonne simul fatebitur, aures sentire, quae verborum compositio veterem, quae recentiorem aetatem redoleat? Commemorabo, quid viris duobus doctis acciderit, quos ipse *Heusingerus* bene novit, & quos idoneos rerum iudices esse, non negabit. Ostendi illis haec fragmenta, atque ut libere suam sententiam exponerent, petii. Hi vero se eandem peregrinitatem soni animadvertisse atque inprimis in illo: *qui potuerit & etiam debuerit*, haesisse dixerunt. Hinc igitur ego, homo alias semper mihi diffidens, mihi persuasi certissime, me *omnino aliquid egisse, qui in talem quaestionem aurium mearum auctoritatem interposuerim.* Sed de hac re satis.

Venio ad alteram: Illam repetitionem verborum *unus* & *rudis*, nimis angusto spatio factam me offendere dixi. Novi talia exempla frequenter

ter in optimis scriptoribus occurrere, atque ipse etiam nuper in *Antiburmanno* quaedam protuli. Legi praeclaram viri magni, *Io. Guil. Bergeri*, cuius ut multos similes haberet hac tempestate Germania, saepius optavi, de hac re disputationem in praestantissimo opere *de naturali pulchrit. orat. p.* 239. Denique me perperam egisse fateor, qui talia loca non investigaverim in Cornelii vitis. Quid igitur est? Ego sic puto: mirum videri posse cuivis, cui haec fragmenta ob alias etiam caussas suspecta sint, si in iis etiam iterationem hanc vocabulorum invenerit. Nonne enim probabile est, haec verba esse indicia scriptoris, parum attenti, atque hanc repetitionem, quam si vel gratam negligentiam, vix tamen virtutem scriptoris dixeris, favere potius illi, qui haec fragmenta Cornelio abiudicet, quam qui ea illi tribuat? Nunc verba examinemus. *Et etiam* latine dici, nemo facile ignorabit. Neque ego illa alia de caussa notavi, quam ob κακοφωνίαν, de qua modo exposui. Eandem ob rationem displicuerunt verba, *adhuc non modo non.* Illa vero *nec rursus* etsi V. Cl. duobus exemplis e Cicerone confirmet, tamen inter rariores formulas referenda esse credo. Atque ideo etiam non formula ipsa mihi parum latina, sed fragmentum non Cornelianum visum est. *Haud quisquam* dici pro *nemo*, ut V. Cl. me doceret, non opus fuit. Nunquam illud reprehendi. Neque ego ellipsin verbi *esse* ignoro, sed illam *hoc loco* duram esse credo. Non nego *vocem* de eloquentia adhiberi. Hoc nego latine dici: *historiam pronunciare digna voce.* Si in fragmento esset: *res gestas*, ferrem formulam, licet rariorem. At quomodo dici potest *pronunciare historiam* pro historiam alicuius populi scribere? Illa deni-

denique *pronunciare historiam digna voce*, si totam hanc loquendi rationem consideres, sapiunt aevum recentius. Porro nondum efficit V. Cl. ut mihi placeat: *philosophiam ante eum incomtam Latinam*. Non ideo hoc reprehendo, ut quidam putabant, quoniam duo epitheta, uni substantivo adduntur. Nihil enim frequentius. vid. Giphanii *Ind. Lucret.* 5. v. *epitheta geminata*. Burmann. ad *Ovid. Met. XV.* 229. Broukhus. ad *Tibull. III.* 22. alios. Verborum collocatio mihi parum probatur, id quod ipse V. Cl. fatetur. Sed videat, an recte verborum ordinem librariorum negligentia perturbatum fuisse dicat. Ipsum quidem initium prioris fragmenti *non ignorare debes* ab exscriptore adiectum esse putat, ut periodi consequentis sententiam fulciret. Atque meminimus, etiam illa verba quibusdam displicere. Probatum etiam mihi fuisse parum concursum plurium accusativorum in litteram mugientem desinentium recte intellexit V. Cl. Atque talia saepissime occurrere apud antiquos scriptores dudum me docuit magnus Gronovius ad *Liv. XXXI.* 22. Insanus essem, si propter solam hanc negligentiam orationem aliquam scriptori antiquo abiudicarem. Sed, ubi plura occurrunt, quae nobis illam suspectam reddant, huius etiam animadversionis aliquam vim esse oportere arbitror. Formulam *eloquentiam oratoriam perpolire* nondum mihi persuasit V. Cl. ut aurea aetate dignam censeam. Neque me verba offendunt, si singillatim ea considerem, quanquam *oratoria eloquentia* mihi non satis Cornelii aetati convenire videtur. Tota formula displicet. Verbum *ponderatius* non prius definam Cornelio aureaque aetate indignum censere, quam V. Cl. illud non *a censoria Lipsiensis Critici virgula* vin-

vindicaverit, fed auctoritate bonorum fcriptorum muniverit. *Hoc genus latinarum litterarum refpondet Graeciae* etfi probabiliter defendatur a V. Cl. nondum tamen a me impetrare poffum ut laudem. Si in Cornelii vitis hanc formulam invenirem, me ideo nullam litem Nepoti moturum effe profiteor. At in his fragmentis me rarior dicendi ratio offendit. Hic vero non opus fuit, ut V. Cl. ingeniofus effe vellet, meque doceret, non poffe aliquem, ante quam natus fit, libros fcribere. Neque enim Leonardum Aretinum horum fragmentorum auctorem effe dixi neque ignoravi, quae Cl. Drakenborch. in *praefat. T. VII. Livii* praefixa de fragmento Liviano difputavit. Verum hoc fragmentum eadem, quae Fragmentum Livii Klockianum barbariei indicia prae fe ferre, credidi. Nec muto fententiam. Sed nolo fubtilius aut acrius de his fragmentis difputare. Neque *acerbis illis crebrifque exclamationibus* aliisque, quae fibi V. Cl. excidere paffus eft, quidquam reponam, quod fortaffe iure meo facere poteram. Nam de re levi magnas tragoedias excitare femper mihi ineptum vifum eft. Confiderent viri docti haec fragmenta, atque cum Cl. *Heufingeri* defenfione, tum meis argumentis cognitis & examinatis, fecundum quem haec liticula dari debeat, ftatuant.

CAP. XII.

Homerus contra Renatum Rapinum defenditur.

Legenti mihi nuper Rapini *comparationem Virgilii & Homeri* multa acute & docte dicta, quaedam etiam falsa, neque satis accurate exposita visa sunt. Inprimis displicuerunt mihi, quae in divinis Homeri carminibus reprehendit, & de quibus nunc paucis disputare iuvat. Iam primum *p.* 171. (utor vero versione latina ex *edit Berkel.*) vituperat Homerum, quod Chryses Apollinem obtestetur, ut perdat Graecos. Nempe hic dicit:

Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν.

Perperam puto. Est omnino sacerdotis pro salute populi precari potius, quam illi mala imprecari, sed voluitne, quaeso, Homerum nobis omnibus numeris perfectum sacerdotem pingere? Neque voluit, neque debuit. Ostendit nobis virum, ira excitatum, ardentem, & plenum indignatione Apollinis vindictam implorantem. Eadem ratio alterius criminis. Indigne fert Rapinus, Agamemnonem insultare Chrysi. Quidni? Homo fuit Agamemnon, quamvis rex, homo tamen, amore & ira occaecatus. Ego reprehenderem Homerum, si Agamemnon puellam, quam deperibat, statim reddidisset patri. Porro dicit *p.* 172. Priamum se non ut patrem gerere, dicentem se malle, reliquos omnes liberos occisos esse, modo Hector reviviscat. Indicat, credo, Ω. vs. 253.

Αἴθ' ἅμα πάντες
Ἕκτορος ὠφέλετ' ἀντὶ θοῇς ἐπὶ νηυσὶ πεφάσθαι.

At

At primum quis erat Hector? Murus Trojanorum, unica spes suorum, unus omnia efficere poterat, Troiamque tutam praestare, quod omnes reliqui non poterant:

> Πᾶσί τ' ὄνειαρ
> Τρωσί τε καὶ Τρωῇσι κατὰ πτόλιν, οἵ σε Θεὸν ὣς
> Δειδέχατ'

Paulo ante *X*. 433. mater dixit. Qui vero erant reliqui filii? Ipse pater bellissimos filiolos v. 261. depingit:

> Ψεῦσταί τ' ὀρχηστοί τε, χοροιτυπίῃσιν ἄριστοι,
> Ἀρνῶν ἠδ' ἐρίφων ἐπιδήμιοι ἁρπακτῆρες.

Vnus igitur ille omnibus reliquis præstabat. Deinde Priamus pater est maxime afflictus hoc casu, filio, unico solatio, privatus, moestissimus. Tanto in dolore nonne accidit, ut indulgeamus tristitiae, &, abrepti vi illius, dicamus optemusve, quae tranquillo animo non faceremus. Nonne etiam in sacra scriptura optat pater, ut loco filii moriatur? Estne etiam crudelitas Achillis erga Hectoris corpus Homero vitio vertenda cum Rapino? Non puto. Quomodo Achilles, ille durus, atque inexorabilis Achilles, quem neque preces neque munera suorum moverant, mitius agere poterat cum hoste, qui tot Græcos interfecerat? Male fecit Achilles. fateor. parum digna est haec crudelitas heroë, quis negat? An vero Homerus fecit etiam male, qui talem Achillem aeternitati tradidit? Nescio cur Rapinus ab Homero perfectarum virtutum imaginem desideret.

Non mitem & placabilem & virtutis deditum animum, ſed μῆνιν οὐλομένην canere voluit. (*) Videamus reliqua. Rapinus reprehendit Neſtora, quod ſe admirabile dicat conſilium habere, & quo non melius ſapientiuſque unquam ſit inventum. Locus eſt Il. I. 103.

Αὐτὰρ ἐγὼν ἐρέω, ὥς μοι δοκεῖ εἶναι ἄριστα
Οὐ γάρ τις νόον ἄλλος ἀμείνονα τοῦδε νοήσει,
Οἷον ἐγὼ νοέω, ἠμὲν πάλαι, ἠδ᾽ ἔτι καὶ νῦν.

Quis loquitur? Neſtor. quis ille Neſtor? ſenex an iuvenis? Senex. ſunt vero ſenes glorioſi, & poterat etiam iure Neſtor glorioſus eſſe. Tertiam iam hominum aetatem videbat.

Bene Homerus χαρακτῆρα ſenis Neſtoris obſervavit. Vide etiam Clarckium ad *Il. A* 249. Atque poterat etiam Neſtor ſua conſilia laudare. Quid enim ſapientius olim, quam Briſeida non eſſe auferendam tentorio Achillis? quid nunc prudentius, quam Achillem, qui quamdiu iratus fuit, miſere Graeci trucidabantur, placandum eſſe

Δώροισίν τ᾽ ἀγανοῖσιν, ἔπεσσί τε μειλιχίοισι.

Male

(*) Mihi placuerunt ſemper verſus Boilavii in arte:

Des heros de roman fugez les petiteſſes
Toutefois aux grands coeurs donnez quelques foibleſſes.
Achille déplairoit moins bouillant & moins prompt.
J'aime à lui voir verſer des pleurs pour un affront.
A ces petits defauts marqués dans la peinture
L'eſprit avec plaiſir reconnoit la nature &c.

Et vide inprimis, quae habet huc pertinentia venuſtiſſimus ſcriptor, Schaftesbury, in *Characteriſt. Vol. III. Miſc. V. ch.* 1. *not.*

Male pergit Rapinus Homerum Agamemnonem nullam aliam caufam, cur Chryfeida reddere nolit, afferentem inducere quam quod illam amet. At ego ab eo non maiorem afferre potuiffe credo. Omnia vincit amor. Iudicent de hac re, qui blandam hanc vim experti funt. Ego iuvenis fufpicor tantum, nihil maius illum potuiffe dicere. At bene habet. Plures etiam caufas commemorat: *A.* 112.

> Καὶ γάρ ῥα Κλυταιμνήστρης προβέβουλα,
> Κουριδίης ἀλόχου· ἐπεὶ οὔ ἑθεν ἐστὶ χερείων.
> Οὐ δέμας, οὐδὲ φυὴν, οὔτ' ἄρ φρένας, οὔτε τι ἔργα.

Ferreus aut ligneus fit oportet, qui plura requirat. Denique non recte Rapinus Homerum feciffe dicit, quod Antilochus Il. Ψ. equos, omni fenfu carentes, exhortetur *argumentis* admodum *puerilibus*. Bona verba quaefo! Poteratne Antilochus argumenta graviora adducere, quam fi mortem illis minitaretur? Et minitatus eft v. 411.

> Οὐ σφῶϊν κομιδὴ παρὰ Νέστορι ποιμένι λαῶν
> Ἔσσεται, αὐτίκα δ' ὔμμε κατακτενεῖ ὀξέϊ χαλκῷ.

Neque repetam quae dicat Plutarchus de Metempfychofi, quam a Pythagora acceperat Homerus. Nonne etiam noftra aetate, quae a veteri fimplicitate quam longiffime recedit, videmus aurigas faepe verbis exhortari equos, cum iis quafi colloqui, eos increpare? Adde Antilochum plenum fuiffe cupiditate & incenfum ardore reportandi praemii. Quid clarius?

CAP. XIII.

Animadversiones in P. Papinii Statii Thebaida.

Si recte illi de humanitatis litteris bene mereri censentur, qui varias codicum lectiones colligant, atque hac ratione cum emendent veterum scripta, tum illustrent, cuius de laboris utilitate praeclara est disputatio *Petri Burmanni* in praefatione ad Quinctilianum: atque si vere *Caspar Barthius* de obscuritate Papinii Statii & difficultatibus interpreti huius poetae superandis questus, neque immerito de animadversionibus in illum scriptis gloriatus est, id quod cum saepius, tum imprimis ad *libr. III. p.* 408. facit: *Ego sane facilius arbitror fuisse, unius Minervae auxilio quinquaginta heroas interficere Tydeo isti, quam nobis ope omnium Musicorum numinum, tantum mendorum & obscuritatum chaos illuminare, indagare, excutere, notare, producere & exstirpare:* ego quoque, si meum qualemcunque laborem aliqua laude dignum esse dixero, non arrogantius mihi facturus videor. Nolumus vero ambitiosius, quam & nostram aetatem deceat, & pudor noster patiatur, de nostro studio dicere. Facile, quicunque non rudes & imperiti sint harum litterarum, atque etiam Statianum scribendi genus cognitum habeant, me multis poetae locis lucem adfudisse non exiguam, mihique his animadversionibus scribendis multarum molestiarum fastidium devorandum fuisse, intelligent. Nactus equidem sum, a Viro Consultissimo & Doctissimo, *Gottlob Francisco Lehmanno*, cuius amicitia mihi nulla fuit Lipsiae iucundior, nulla suavior, editionem Statii, a *Fr. Tiliobroga* Parisiis a. MDC. adornatam, cuius margini *Joh. Frid. Christius*, quem merito nuper

Lipsia

Lipfia in ornamentis fuis numerabat, varias codicis lectiones adfcripferat. Ipfum quidem codicem quoniam nunquam oculis vidi, nefcio utrum ille Thebaida tantum, an reliqua etiam Statii carmina habeat. Neque aliud quidquam de illo dicere licet, quam quod *Chriftius* in primo folio notavit: *Contuli Thebaida cum libro membranao bono, fexcentis circiter annis, ut opinor, vetuftiore bibliothecae Curialis Lipficae. a. XXXXVI.* Illud vero intelligent omnes multas ineffe lectiones bonas, eundemque faepe cum eo, quem *Barthius* *optimum librum* plerumque appellat, convenire. Obfervavi etiam aliquoties lectiones, a *Barthio* neque in margine, neque in commentariis memoratas, & quae ideo noftri libri propriae videantur. Sed de his aliquid certi pronunciare non audeo. Doleo enim, mihi haec fcribenti egregios *Gevartii*, *Gronovii*, aliorum, labores non ad manum fuiffe, quibus me aegre caruiffe fateor. Verfatus vero fum in his lectionibus edendis fic, ut non omnes in has chartas transferrem, fed eas tantummodo, quae mihi alicuius momenti & prae caeteris commemorandae effe viderentur. Nam etfi probe novi, nihil temere in codicibus negligendum effe, atque etiam ex vitiofa fcriptura faepe veram lectionem elici, id quod ipfe contra Cl. *Pratorium*, qui in edendo Sulpicio Severo mihi in hoc genere non fatis fecit, oftendi in *Actis Erudit. Lipf. menf. Maj. & Iun. a.* 1759. nullam tamen lectionem, cuius commemoratione aegre carerent viri docti ut omitterem, me longo ufu confecutum effe arbitror. Omifi eas, quae aut aperte falfae aut leviores effent. Interdum tamen etiam vitiofas (certe mihi vitiofae vifae funt,) propofui,

posui, quod cur factum sit, ex ipsis locis viri docti intelligent. Si quis reliquarum cognoscendarum desiderio teneatur, certiores nos faciat. Nunquam eorum mores imitabimur, qui codices, quasi dracones aurea mala, custodiant, & vix in solem & lucem proferant. Denique nihil facilius mihi fuisset, quam multa congerere atque adscribere, quae diffusae lectionis & eruditionis magnae apud imperitos speciem haberent. Sed nunquam hanc gloriolam adeo adamavi, ut illius comparandae caussa cum mihi molestus essem, tum doctis & acutis hominibus taedium afferrem. Breviter & saepe uno tantummodo verbo sententiam dixi, semperque ablegavi lectores ad virorum doctorum libros, unde plura exempla copiosioremque doctrinam peterent. Nam vel hinc apparere puto, facile nos, si voluissemus, & loquaces esse & doctos videri potuisse. Et videbunt certe lectores, nos diligenter cum veterum auctorum tum recentiorum criticorum libros legisse. Adspersi etiam aliquoties coniecturas, quibus poetam indigere censui, rectene an falso alii iudicent, nec violentas illas nec multas. Aliquot earum mihi valde placere, ipse non nego. Fortasse etiam in hac re accidit, ut nihil pulchrius nobis videatur, quam quod amemus, atque amor hic ὀφθαλμοκλέπτης caliginem nobis offundat. Sed de tota re viri docti iudicent. Nam & horum sententias aequo animo audire atque ferre, & semidoctorum frontem atque clamores contemnere didici. Certe cum nemine de his rebus acriter pugnabo aut manum conferam.

LIB.

LIB. I.

V. 43. *hostilem propellens caedibus amnem Turbidus Hippomedon.* Cod. *hostile agmen.* Sed est procul dubio haec lectio e glossemate orta. Voluit enim glossator difficiliorem formulam, sed quae a natura Statii non aliena videtur, faciliori explicare. Nam etsi probe novi, probabiliter hunc versum exponi posse de Hismeneta sive Hismeno fluvio, in quo cum dimicaret Hippomedon, ut vetus interpres ait, exstinctus est, v. infra *IV.* 144. & *L. IX. v.* 236. sequ. Ubi etiam *v.* 255. est: *premit agmina Thebes Hippomedon.* & *v.* 302. *sic premit adversos:* malim tamen *hostilem amnem* interpretari agmen hostium, ut *IX.* 199. de eo dicitur. *Vix socios hostemque, nihil dum tardet euntem, secernens.* Similiter prope *II.* 223. *foribus cum immissa superbis Vnda fremit vulgi.* Virgil. *Georg. II.* 461. *foribus domus alta superbis Mane salutantum totis vomit aedibus undam.* Silius Ital. *IV.* 159. *spissaeque ruunt conferta per arma Vndae Boiorum.* sic etiam Graeci. *Il.* λ. 723. τὰ δ' ἐπέῤῥεον ἔθνεα πεζῶν. Sed de his alio loco. v. 112. *Tum geminas quatit* illa *manus.* C. *tunc — ira.* pulchre. convenit enim bene hoc Furiae. Sic *v.* 428. *Sic ira ferebat.* atque *VIII.* 387. *tenet in capulis hastisque paratas Ira manus.* & X. 402. *arma ira dabat. XI.* 309. *ensem, quem iam dabat ira, repressit.* Lucan. *IV.* 211. *Addidit ira ferox verba* & I. 141. *quo spes quoque ira vocasset,* Sic invenit etiam Vir doctus, qui in *Misc. Observ. Vol. I. T. II. p.* 163. varias Statii lectiones exhibet, atque hanc pluribus adstruit. Notum etiam illud Virgilii: *furor arma ministrat.* v. 146. *suffulta* C. *ef-*

fulta.

fulta. v. 164. *forte cadebat* C. *carebat*, quod licet Barthius reiiciat, apte tamen explicari potest. Polynices, quia non statim imperium ex foedere accepit, caruit forte: exsors fuit: sic infra v. 300. *alternum regni inficiatus honorem.* & *II.* 386. *trans legem ac tempora regni Iam fratris de parte dabat*, atque 428. *Quae fors iusta mihi* Scil. sceptra dedit. v. 196. *Aspera* fors *populis.* C. *fors*, perpetua & solemni mutatione, ut docet Drakenb. ad. *Sil. XV.* 105. v. 201. *Terra atque unda die.* C. *una.* male, si quid video. Ingenue etiam fateor, me totum hunc locum nondum intelligere, lectis tamen & examinatis omnibus Barthii interpretationibus. v. 227. *mens cunctis imposta manet.* C. *movet*, quod etiam Barthius in quibusdam libris esse dicit. Si tibi nostri cod. lectio placet, possis etiam vel sic explicare: movet in scelus, excitat ad flagitia, ut Lucan. *IX.* 642. *Eumenidum crines solos movere furores.* & *III.* 358. *Vana movet Graios nostri fiducia cursus*: vel etiam τὸ *movere* tanquam absolute positum interpretari, ut Gellius non semel dicit *terram movisse*, pro commotam esse. vid. Sciopp. *Verisim. III.* 8. Barthio miror *imposta* in mentem venire potuisse. Mihi sensus loci videtur hic: cunctis malam esse mentem inditam; atque hac eos exstimulari. v. 255. *Extinguas.* C. *Restinguas.* vid. Barth. v. 291. *non revocabile verum.* C. *inrevocabile.* sic etiam in O. M. p. 169. v. 295. *se tollat.* C. *attollat*, sic ibid. p. 170. v. 309. *inhorruit aura.* C. *umbra.* vitiose. quod puto inde ortum, quia praecedens versus desinit in *umbras*, quodque saepe librariis peccandi occasionem dedisse animadvertimus. v. 331. *lapsumque inclinat ad aequora montem.* C. *lassumque.* elegantissima lectio, quamque

iam

iam Barthius e Lutatii commentario protulit. Similiter noster *IV.* 357. *ipsa vetusto Moenia lassa situ, magnaeque Amphionis arces Iam fessum senio nudant latus.* vid. Oudendorp. ad *Lucan. IX.* 968. Ovid. *ex Pont. I.* 4, 14. *Fructibus assiduis lassa senescit humus*, & *Ep. IX.* 56. *Qui lassas in se saepe retorquet aquas*, ubi similis in codd. varietas. vide ibi Burmannum, & nos infra ad v. 550. sic etiam recte puto viros doctos legere apud Petron. *C.* 122. *rupta tonabant verticibus lassis montis iuga* pro *lapsis.* v. 347. *iam claustra rigentis Aeoliae perclusa sonant.* C. *perculsa.* quae lectio probata etiam est Barthio. Nolim tamen cum eo interpretari locum per *ventorum speluncas ab Aeolo percussas*, sed potius de ventis, qui summa vi exire conantur, atque ideo claustra percutiunt, ut etiam vetus interpres sumsisse videtur. v. 348. *venti transversa frementes*, C. *minantes.* Vtraque lectio defendi potest. Lucan. *IX.* 320. *densis fremuit niger imbribus Auster* & *L. V.* 608. *non Euri cessasse minax.* Ovid. *Trist. I.* 2, 24. *aer — nubibus ille minas. Inter utrumque fremunt immani turbine venti.* Horat. *Quodcunque minabitur Eurus.* Sed hoc loco praefero vulgatam lectionem ideo, quia praecessit *ore minatur hyems*, etsi talia sciam optimis quoque scriptoribus excidisse. v. 352. *Diffunditque imbres.* C. *Defudit.* corrupta lectio, sed e qua bene recta & elegans elici potest. Puto equidem, poetam scripsisse *defudat*, quod Statianum videtur, certe haec verba confunduntur in codd. vid. Burm. ad *Claudian. in Rufin. I.* 304. *morbus — Stygiam pestem desudat in amnes.* Constructio vero haec satis nota est. Virgil. *Ecl. IV.* 50. *Et durae quercus sudabunt roscida mella.* Iustin. *XXXVI.* 3, 4. *Arbores certo anni tempore balsamum sudant*, ut

ut Graeci ῥεῖν etiam usurpant: Euripid. *Hecub.* 528. πλῆρες δ' ἐν χεροῖν λαβὼν δέπας, πάγχρυσον ἔρρει χειρὶ παῖς Ἀχιλλέως χοὰς θανόντι πατρί. Theocr. V. 124. ἱμέρα ἀνθ' ὕδατος ῥείτω γάλα. Occurrit tamen apud Lucan. *IV.* 80. *diffusum aequor*, id est, imber. Sed nescio, quomodo valde mihi haec coniectura mea blandiatur. Intelligetur vero hinc saepe sub corrupta scriptura latere lectionem veram. v. 353. *Persolidat.* C. *Praesolidat.* v. 384. *Laevus habens.* C. *habet.* quod Barthius recte concinnius censet. v. 407. *gelida.* C. *gelidam.* v. 409. *passi.* C. *passis*, ita ut dependeat a praecedenti *ambobus.* v. 456. *limina forte.* C. *portae.* v. 406. *nobis sociare cubilia terrae.* Christius adscripsit in margine coniecturam: *non vis.* Sed nihil illa opus est. Est enim, ut viri docti notaverunt, abruptio sermonis, Statio familiaris, & sensus hic: Centauri & Cyclopes una habitant, atque etiam monstris sua iura sunt. Nos vero ne humi quidem simul cubare voluimus, aut interrogative, velimus? sensus est planus. v. 466. *mens sibi conscia fati.* C. *facti*, nempe ut incestum indicet, aut quod Barthio placet, malum in patrem animum factumque. v. 550. *frustraque sonantia laxant ora canes.* C. *lassant.* quae lectio verissima mihi videtur, neque ullo modo a librario proficisci potuisse. Ita etiam legit Heinf. ad *Ovid. Trist. II.* 4, 59. *Laxus*, *lassus*, *lapsus* inter se commutari iam supra vidimus, & docent Drakenb. ad *Sil. VIII.* 322. & X. 606. atque elegantissimus Heynius ad *Tibull.* p. 206. sic apud Luc. *II.* 618. ubi similis est varietas a viris doctis notata, *lassae undae* & *VI.* 45. *Flumina tot cursus illic exorta fatigant.* *V.* 703. *lassatum fluctibus* aequor. vid. Burm. ad *Ovid. Met. XIII.* 644. ubi etiam codices

variant.

variant. Ponunt etiam poetae verbum *fessum* eodem significatu. Ut naves, turres *fessae* vid. Heins. ad *Claudian.* p. 16. & Burm. *ibid.* p. 55. edit. nov. v. 570. *primis & pubescentibus annis.* C. *in pubem ineuntibus.* Alii libri iam habent *pubem ineuntibus.* Nonne illud nobis Statianum, *pubescentibus* vero glossa Grammatici, difficiliorem & rariorem formulam usitato verbo explicare cupientis videatur? v. 613. *sub pectore diro.* C. *duro*, perpetua, ut notum, mutatione. vide intt. ad *Ovid. Met. III.* 354. & Burm. ad *Fast. II.* 429. atque Bentleium ad *Horat. Epod. XIII.* 10. & *II.* 12, 3. *Carm.* v. 618. *squallentia pectora tabo.* C. *liventia.* Vtrumque defendi potest. sed vulgatam praefero, quoniam in præcedenti versus fuit: *Liventes in morte oculos.* Quanquam fortasse talia non sunt ad vivum resecanda. v. 652. *praestabit.* C. *praestabat*, quod probat vir doctus in Obs. Misc. p. 182. & Barthius. v. 685. *de solibus horret.* C. *erret.* de qua varietate vid. Heins. & Burm. ad *Ovid. Fast. I.* 495.

LIB. II.

Vs. 9. *Transabiit costas cognatis ictibus ensis.* Christius legit *actibus.* quae lectio, si codice firmaretur, non negligenda videretur. Certe *actus* & *ictus* confundi docent Burm. ad *Ovid. Fastor. III.* 741. *Trist. III.* 1, 11. & Oudendorp. ad *Lucan. III.* 469. qui etiam eodem in Lucano v. 494. *Et sudibus crebris & adusti roboris ictu Percussae cedunt crates* coniicit *actu*, quia passim etiam tela & missilia *agi* dicantur. Sed vide prae aliis Burm. ad *Valer. Flacc. II.* 179. vs. 37. *Illic exhausti* &c. usque ad v. 40. *tonitrua pulsant* desunt in membranis Lipsiens. invito Bar-

 thio,

thio. v. 55. *Hac & tunc* &c. abest, sed perperam. Obiter noto Cl. Valckenar. ad Ammonium, in *Animadv.* p. 135. in v. 58. pro *mediaeque silentia lunae* non male legere *mutaeque*. v. 63. *principiumque suum*. C. *sui*. v. 67. *suam & iuga*. C. *sedem & iuga*. v. 124. *vulnere*. C. *sanguine*. quae mutatio satis frequens est. vid. Heins. ad *Ovid. Rem.* 29. & Burm. ad *Met. XI.* 9. atque hoc quidem loco τὸ *sanguine* procul dubio e glossemate ortum est. Nam vetus interpres, sive Lactantium eum dicas, sive Lutatium, scribit: *vulnere pro sanguine posuit*. v. 158. *procorum Turba petat*. C. *petant*. Sic Virg. *Aen. II.* 477. *omnis Scyria pubes succedunt tecto*, & noster *Sylv. III.* 1, 85. *Huc omnis turba coimus*. *Theb. I.* 561. *Plebs Argiva litant*, & infra. v. 523. *tacitis huc gressibus acti. Deveniunt peritura cohors*. Sed quid de re minime ignota multa verba faciamus? vid. Heins. ad *Ovid. Met. IX.* 421. v. 162. *late dominantibus armis*. C. *arvis*. Sed perperam, ut etiam vir doctus in *Obs. Misc.* p. 191. iudicat, cui recte probatur *armis*. Saepius haec verba in codd. inter se invicem permutantur, ut docet Oudendorp. ad *Lucan. IV.* 582. v. 187. *Tu potior Thebane queri*. C. *poteris:* quae lectio similis illi in Obs. M. p. 192. *Tu potis es*. v. 217. *Tantum ausae proferte manus*. C. *perferre*. quam lectionem Barthius defendere vehementer conatur, sed, si quid video, non bene. Non enim sermo est, de onere aut summo aliquo labore, quem *pertulerint* manus, sed potius de arte pictorum aut statuariorum, qui imagines simillimas vivis protulerint. Caeterum verum est, quod dicit Oudendorpius ad *Lucan. IV.* 263. electionem verioris lectionis in compositis cum praepositionibus *per* & *pro* a solo de-

dependere iudicio: MSS. hic nos niti vix posse, cum semper in illis confundantur. v. 221. pro *nudoque ferens caput* Christius conieceraт *nudo feriens* sed vide Barthium. v. 227. *matres.* C. *matrum.* ita etiam codd. in Obs. M. *p.* 193. improbante viro docto. v. 233. *primaeque* modestia *culpae.* C. *molestia.* quod nescio an melius sit faciliusque explicari possit illo, etsi Barthius dicit, hanc lectionem *nulli bono esse.* Amabo te, lector, quid est, *modestia culpae?* an modesta culpa? Et quid hoc est? At *molestia culpae* est culpa molesta. Nempe amissionem virginitatis culpam putant, eaque illis molestia est. v. 242. *velit.* C. *velint.* v. 250. *gaudia vulgi.* C. *patris.* Habet utraque lectio eundem prope sensum. Malim tamen hanc probare, & ad Adrastum referre. vide etiam Barthium. v. 282. *interplicat atro.* C. *auro.* probarem lectionem, nisi praecedens versus desineret *taurum.* Sed fortasse vel sic probanda est. v. 338. *magnas* latrantia *pectora curas.* C. *iactantia.* quae lectio, licet dissentiat Barthius, e glossa orta est. Illud verbum qui Statianum esse neget, nae ille indolem poetae huius parum cognitam habeat; necesse est. exempla habet etiam Burman. ad *Petron. c.* 119. *p.* 731. edit. nov. Invenit tamen vir doctus in O. M. *p.* 202. idem verbum in duobus codd. at iure meritoque improbat. v. 367. *Fit mora consilio.* C. *Nec.* tum locus foret explicandus sic: neque longa deliberatio moras iniicit, sed, etsi multi multa proferrent, omnes tamen uno ore decreverunt, &c. v. 368. *Jam.* C. *Nam.* v. 386. *ferens.* C. *ferus.* quod merito probat Barthius. Bene enim hoc convenit Eteocli, quem paullo ante *durum* vocavit, & *III.* 78. *Rex ferus.* v. 393. *plena fides.* C. *plana.* v. 396. *Fortunam* — *disce-*

difcedere. C. *Fortuna — defcendere.* bene probat etiam Oudend. ad *Lucan. I.* 335. *ex hoc iam te improbe regno Ille tuus faltem doceat defcendere Sulla.* Eadem eft in codd. varietas apud Ovid. Rem. *Am.* v. 121. apud Tibull. *I.* 2, 19. ubi vid. doctiffimum virum, Heynium, atque etiam fupra a Barthio notata ad v. 317. *L. I. humilem decedere regno Germanum*, ubi ille ficr *clare in MS. optime defcendere. Quam lectionem non erat librariorum alicuius comminifci. Defcendere* de privatione vitae & regni dici docet etiam Burm. ad *Claudian. p.* 68. v. 398. *pactae.* C. *partae.* quae diverfitas verborum notata a Burmanno ad *Ovid. Met. XII.* 293. & *XIII.* 348. Sed praeftat hoc loco vulgata. v. 403. *aperto.* C. *apertos.* v. 413. *totofque agitata per artus* &c. licetne coniecturam aliquam proponere? licetne dicere, me malle *tortos*? Has quidem voces commutari inter fe docet Oudend. ad *Lucan. III.* 672. & Burm. ad *Ovid. Met. X.* 424. Hoc vero verbum faepius tribuitur a poetis anguibus. ut *Ovid. Met. IV.* 482. *tortoque incingitur angui. II.* 138. *tortum declinet in anguem.* & fic faepiffime. v. 431. *melioribus actis* leg. *maioribus*, (de qua varietate vid. Burm. ad *Ovid. Met. XIII.* 102.) quod etiam Barthio placuit. v. 450. *patres. l. patris.* Fortaffe fic defendi poteft hic locus, qui etiam merito Barthio difplicuit: Nihil hactenus, inquit, de his apud Thebas hic legimus adeo fubito nunc exoriuntur, ut inftar Spartarum, de terra modo erepfiffe putare poffis. Haec ille. Sed quid? fi locum fic explicemus? Etheocles paullo antea dixerat: *refpice quantus Horror & attoniti noftro in difcrimine cives.* Nunc dicit: fac etiam, me regna reddere velle, *nec ipfi patris Reddere regna finent:* non illi cives finent me imperium

perium a patre acceptum reddere. Hic mihi verus videtur loci fenfus, quem etiam vetus interpres ex parte vidit. Nihil aget, qui hic prolepfin effe dicat, eamque omnibus poetis familiarem fuiffe centum confirmet exemplis. Ego femper, quidquid dicant alii, prolepfin vitium puto, & tanquam verbum, e cerebro Grammatici, quafi Minervam aliquam, procreatum contemno. v. 453. *non fi te ferreus agger ambiat.* C. *tibi.* confiderent velim attentius viri docti hunc locum. Eftne fortaffe hic *tibi* fic fumendum, ut multis aliis in locis? Sic *III.* 14. *totos raperent* mihi *funditus Argos.* Exempla dabunt multa Rittershufius ad *Oppian. Cyneg. I.* 89. Daufqu. ad *Sil. p.* 360. & 396. Wefterhovius ad *Terent. Andr. IV.* 2, 1. Cortius ad *Cicer. Epift. IX.* 2. Perizonius ad *Ael. XII.* 25. atque Hoogeveen ad *Viger. p.* 132. Sanct. Minerv. *II.* 4. ibique Perizon. n. 5. vide etiam Heumannum ad Minuc. Fel. V. 6. qui plures laudat. v. 464. nec *fallit origo Oedipodes tu folus eris.* C. *fed—eras.* vide Barth. v. 484. *Pectora:* C. *Corpora.* vid. O. M. p. 216. v. 509. *vifoque frementi Colluftrat campos.* C. *vifuque trementi.* Sed melius mihi vulgata cum Sphyngi, tum etiam, quia magis poetica eft, Statio convenire videtur. Quam faepe hae voces permutentur in codd. docet Burm. ad *Ovid. Met. IV.* 136. Informes vero animo Sphyngem, igneis quafi & e quibus crudelitas emineat oculis profpicientem, an aliquis adveniat, qui aenigma folvere velit, quemque dilaniet. Prope ita *Lucan. VII.* 291. *faciefque truces oculofque minaces.* Ovid. *Met. VI.* 621. *oculifque tuens immitibus* & *VIII.* 466. *faepe fuum fervens oculis dabat ira ruborem*, ubi unus cod. praefert *furorem.* Tamen *Met. III.* 577. *Adfpicit hunc oculis*

Pentheus quos ira tremendos *fecerat*, quem locum una cum eo nostri v. 732. *vultusque* tremendos *Magnanimum regum* laudare poterat vir doctus in O. M. *p.* 218. qui emendat: *tremendo*. v. 549. *voco*. C. *vocor*. v. 573. *Terrigenas* confessus *avos*. C. *confisus*. v. 588. *divisus*. C. *diffusus*. ita etiam in O. M. *p.* 221. Ovid. *Met.* X. 239. *in omne latus* diffusa *sonabat Flamma*. v. 590. *impediunt numero*. C. *impeditant numero*. v. 591. *ipsa*. C. *ipsae*. recte probat vir doctus in obs. Misc. *p.* 222. v. 593. *manet ille cruentis*. C. *ruentes*. vid. Oudendorp. ad *Luc. I.* 254. & Burm. ad *Ovid. Fast. II.* 752. *stricto quolibet ense ruit*, pluribus hanc formulam illustrantes. in Ob. M. est *ruentum*. v. 599. *lapso*. C. *lasso*. optime. v. 605. *passum*. C. *passus*. bene. v. 617. *nimiis*. C. *magnis*. v. 674. *& tetra*. C. *ac atra*. v. 721. *nostras invisere caedes Monte venis*. C. *velis*. Sed vulgata magis placet, etsi sic etiam duo codd. in O. M. *p.* 237. Virgil. Aen. *I.* 527. *non nos aut ferro Lybicos populare penates. Venimus aut raptas ad littora vertere praedas*. & supra *I.* 224. *nunc geminas punire domos . . . descendo*. vid. Barth. ad *Theb. I.* 616. & Gronov. *Obs. II.* 14.

LIB. III.

V. 13. *Et Chromis*. C. *It*, quod non displicet; sed tum post *Thespiadae* comma foret delendum. v. 35. *Eoo*. C. *in medio*. v. 61. *ets*. C. *ira*. v. 71. *bellum infandum* cunctisque *negatam Movisse funeste aciem* C. *ominibusque*. quae lectio mihi non negligenda esse videtur. Quomodo vero exponas locum? an sic? infaustis ominibus moveri debuisse illum, quo minus mitteret milites: ut Ovid. *Met.* IX.

IX. 594. *Ominibus certis probibebat amori Indulgere meo.* Iudicent eruditiores. v. 115. *ardua.* C. *invia.* v. O. M. p. 240. v. 141. *hominem revocare canendo.* C. *renovare.* Luc. *IX.* 183. *& renovare parans hibernas Apulus herbas*, atque *IV.* 600. *tam defecta vigent renovato robore vires*, ubi eadem est varietas. Ovid. *Met. VII.* 177. *Arte mea soceri longum tentabimus aevum Non annis revocare tuis.* & 215. *Non opus est succis, per quos renovata senectus in florem redeat*, quibus in locis alii codices habent *renovare*, alii *revocare.* v. 163. *miserandaque.* C. *numerandaque.* non probo. v. O. M. p. 241. v. 191. *fato.* C. *facto.* v. 211. quantum *crudele rubebitis amnes.* C. *quanti.* Sic legit etiam Heinsius ad *Claudian. p.* 2. *ed. Burm.* v. 240. *pugnare.* C. *pugnare.* v. 250. *ac.* C. *aut.* vid. Bart. v. 257. *abactas.* C. *abacto.* recte. v. 271. *Harmonies.* C. *Ermione*, falso, ut docet Burmannus ad Anthol. p. 54. & 55. v. 308. *Cui modo.* C. *Qui.* quae lectio placet. Est vero tum Aposiopesis in hoc loco. *Qui modo* — (scil. gravissima minatus est) *pro vires.* Vulgata facilior est: haec sublimior & magis poetica. v. 313. *acies.* C. *gentes.* Barthius invenit etiam in cod. *Bella dabunt gentes*, quod probat. v. 340. *Isse.* C. *Esse.* v. 349. *Ductor.* C. *Auctor.* v. 351. *iura* C. *sura.* v. 368. *vitaque nocens.* C. *vitaeque.* vid. Barth. v. 401. *uterque.* C. *utrimque.* v. 412. *Diripiunt* — *calidis humentia loris.* C. *Deripiunt* — *roseis spumantia. Diripere & deripere* saepissime in codd. permutari notum est. vid. Heins. & Burm. ad *Ovid. Amor. I.* 5, 13. & saepius ad eundem scriptorem. *roseis* placet valde, nam rosei equi cum aurorae tum soli tribuuntur. vid. Cl. Heynium ad *Tibull. I.* 3, 94. *hunc illum nobis Aurora nitentem Luciferum roseis* can-

candida portet equis. Add. Ovid. *Am. I.* 8, 3. *nigri non illa parentem Memnonis in roseis sobria vidit equis.* & *Fast. IV.* 714. *Postera cum veniet terras visura patentes Memnonis in roseis lutea mater equis.* At an de pectoribus dici possit *spumare* nescio. Habemus quidem apud Lucan. *VI.* 399. *frenosque momordit spumavitque novis Lapithae domitoris habenis.* Et apud Ov. *Am. II.* 9, 29. *Vt rapit in praeceps dominum, spumantia frustra Frena retentantem durior oris equus. Spumantia ora* etiam saepius occurrunt, vid. Heins. ad *Ovid. Met. II.* 342. Sed *spumantia pectora loris* me non memini legere: venit mihi tamen alia lectio in mentem. Nempe voces *spumare* & *fumare* passim a librariis permutatae sunt; id quod docent Heinsius loco modo laudato, & Drakenb. ad *Sil. Ital. I.* 126. & *II.* 163. Quid igitur si etiam hoc loco legendum esse coniiciamus? *roseis* fumantia *loris Pectora.* Sic Lucan. *IV.* 754. de equo: *fumant sudoribus artus.* Ovid. *Met. XIV.* 363. *equique celer fumantia terga relinquit.* ubi alii libri *spumantia.* & Statius noster *Silv. I.* 1, 21. de equo Maximi Domitiani, *nec tardo raptus prope flumina cursu Fumat* — ubi vid. Barthius. v. 427. *currum.* C. *cursum.* sed praestat vulgata. v. 436. *Et vulso.* C. *evulso.* vid. Barth. v. 437. *motis.* C. *montis.* v. 446. *adstringeret.* vide de hac voce docte differentem Gebhardum in *Crep. III* 8. v. 469. *lavavit sole pruinas.* C. *laxavit.* quod illi longe praeferendum iudico. Similiter prope Calpurn. *Ecl. V. dum matutina relaxet Frigora sol.* quem locum cum aliis huc spectantibus laudat Heins. ad Ov. *Her. II.* 123. noster *IV.* 1. *Tertius horrentem Zephyris* laxaverat *annum.* Sed huius formulae alia videtur eademque ratio, quae illius: *terram laxari vere*, ut Virg. *Georg II.* 330.

Ze-

Zephyrique tepentibus auris Laxant arva sinus. vid. Heinſ. ad *Ovid. II.* 123. *Epiſt.* Gronov. ad *Senec. Herc. Fur.* 8. *Hinc quae tepenti vere laxatur dies.* & Burm. ad *Petron. c.* 122. *p.* 750. Legit ſic etiam Lutatius. v. 502. *limite.* C. *limine.* v. 505. *plauſerit.* C. *planxerit.* male. Ovid. *Met. VIII.* 238. *proſpexit ab ilice perdix & plauſit pennis*, ubi Burmannus plura exempla laudat. Lutatio tamen, *planxerit* probanti, favere poteſt Ovid. ad *Liv.* 109. *Sic plumoſa novis plangentes pectora pennis Oeniden ſubitae concinuiſtis aves.* v. 537. *Et plumis* ſtillare *diem.* C. *ſtellare.* quam lectionem probem quaeris? neutram. Sit hoc exemplum *immaniloquentiae* ut Barthius dicit, Papinianae. Certe Virgilius non minus eleganter & minori tamen cum tumore hanc rem dixit. At ſi argutari lubet, *ſtellare* praefero τῷ *ſtillare.* Hoc enim de iis tantum dici poteſt, quae fluida ſunt, ut poetae ſaepe *mella ilice ſtillare* aut *gladios* & *ſidera ſanguine ſtillare* dicunt. Quis vero dicat aërem ſtillare plumis? ſed fortaſſe in Statio talia non ſunt ad vivum reſecanda. Quare malim *ſtellare*, etſi fatear, me ſimile exemplum ignorare. Poſſis tamen forte aliquid lucis huic loco affundere ex iis, quae de verbo *ſtellatus* Salmaſius ad *Solin. p.* 533. & Burm. ad *Ovid. Met. V.* 461. *variis ſtellatus corpora guttis* adnotavaerunt. Praecedens verſus, ut uno verbo dicam, ridiculus eſt. Poteſtne homo ſanus dicere; ventos roraſſe ſanguine? *Inexperto* malim ſic explicari: venti ſanguine maduerunt, quod nunquam antea factum fuit, quod nondum experti fuerant antea venti: quam cum Scholiaſte Barthiano: *non enim ſolent alioquin cygni pugnare.* v. 563. *ac debile.* C. & *flebile.* multis de hac varietate agunt Heinſ. & Burm. ad *Ov. Triſt. III.*

 4, 20.

4, 20. v. 564. *ſcrutamur*. C. *ſcrutati*. v. 574. *Biſſenos — dies*. C. *Biſſeno — die*. v. 583. *Horrentesque*. C. *Haerentesque*. ita etiam in Ob. Miſc. p. 250. quas vide. v. 619. *prorumpit*. C. *prorumpere*. v. 627. *nam te veſane* moneri *Ante nefas*. C. *moveri*. Sed *monere* verbum de hac re prope proprium. Sic Tibull. *III*. 4, 5. *Divi vera* monent; *venturae nuncia ſortis*, *vera* monent *Tuſcis exta probata viſis*, & v. 11. *ſive illi vera* moneri. vid. Burm. ad *Ovid. Met. II*. 639. qui plures laudat, quique iam laudatus eſt ab Heynio, V. Cl. ad *Tib. I*. 6, 49. *moveri* vero dici τοὺς ἐνθουσιαζομένους docet Gronov. in *Obſ. I*. 23. Frequentem eſſe horum verborum confuſionem docet Burm. ad *Ov. A. A. III*. 651. quem omnino conſule. v. 636. *Fati*. C. *prima*. v. Barth. v. 647. *ſimul*. C. *ſemel*. ſollemni permutatione. vid. Burm. ad *Ov. Met. IV*. 450. *VI*. 511. v. 658. *obſtruſa*. C. *abſtruſa*. quod illi praeferendum omnino v. Oudendorp. ad *Lucan. IV*. 293. v. 667. *dementia*. C. *clementia*. quas voces ob ſimilitudinem litterarum *d* & *cl* ſaepiſſime a librariis confundi obſervamus. v. Drakenb. ad *Sil. It. II*. 52. Hoc loco videtur mihi, licet Barthius aliter ſentiat, magis codicis noſtris lectio probanda: favor & gratia Apollinis, quam iactas, ſive vaticinandi ſcientia &c. v. 692. *facem*. C. *vocem*. vitioſe. *profundo*. C. *propinquo*. quod melius videtur. nempe ut ad maritum referatur. v. 696. *iacentis*. C. *tacentis*. quod ſi probes explicare poteris e v. 690. *non ille iubet*. ſed praeſtat omnino vulgata, ubi *iacere* interpretor negligi, v. Burm. ad *Ov. Triſt. V*. 7, 48. *Victaque pugnaci iura ſub enſe iacent*, ubi alius cod. habet *tacent*. vide etiam ad *Met. XV*. 189.

LIB.

LIB. IV.

Vs. 2. *limite*. C. *limine*. v. 29. *ſtant tamen* —— & 20. *Dulce. ſequi* —— deſunt in codice noſtro. v. 31. *notam puppem*. C. *nota puppim*. v. 64. *geſa*. C. *ceſa*, quod ſi pro *caeſa* ſcriptum eſſe dicas, ſenſum elicies non malum. Tum opponerentur *robora caeſa manu* roboribus flammis induratis. Sed procul dubio vulgata lectio, ut difficilior, huic praeferenda eſt. v. 66. *Mox*. C. *mos*. recte. v. 67. *diem praecinguere gyro*. Chriſtius coniecit *praeſtinguere*. Sed etſi probe novi *praeſtinguere* eſſe idem, quod obterebrare, atque etiam ſaepe poetas lucem telis obſcurari dicere memini, hanc tamen coniecturam non probo. Verbum *gyrus* mihi firmare videtur τὸ *praecingere*, atque ipſa locutio Statiana eſt, quam quae maxime. Nolim tamen interpretari locum cum Barthio per *aerem obſcurare*, qui ſenſus non eſt verus, ſed potius de rotatis aut circumactis fundis exponere. v. 70. *laſſa*. C. *laxa*. vid. Barth. v. 130. *nivea*. C. *niveum*. Heinſius ad *Claudian. p.* 13. *ed. Burm.* legit: *niveum. candente*. vid. etiam Obſ. Miſc. *p.* 254. ſed quemadmodum viros doctos inſolitus verbi *ſcandere* uſus offendiſſe videtur, ita mihi non tam placuit, quam perſuaſit, nihil eſſe mutandum. Satis etiam bene Barthius locum interpretatur. v. 131. *tegunt*. C. *terunt*. v. 138. *longe*. C. *longo*. v. 155. *armat*. C. *arma*. non male: coniunge vero cum τῷ *gentilis honor*. v. 163. & *laſſos qua reclinaverat artus*. C. *laxos qua reclinaverat arcus*. Quod valde placet. nam bene cum robore ſive clava coniunguntur ſagittae, quibus Nemeaeus leo non poterat perimi; deinde etiam ſequenti verſu idem illud prope dicitur, quod vul-

vulgata indicat lectio. v. 176. *arce.* C. *arte.* non probo. v. 178. *dati.* C. *viri.* v. 197. *nisi.* C. *si.* v. 219. *prensas.* C. *pressas.* vid. Zinzerling. *Promulf. Crit. c.* 38. & Oudendorp. ad *Lucan. III.* 664. v. 239. *notant.* C. *natant*, quod probat Barthius. v. 241. *patria.* C. *putria.* v. 247. *armorum.* C. *annorum.* quae mutatio saepe annotata a viris doctis ad Ovidium, ut *Epist. I.* 105. *Art. I.* 181. &c. Hanc lectionem mihi stabilire videtur v. 252. *Nec desunt animi, veniat modo fortior aetas.* v. 249. *forte.* C. *foret.* pulchre. v. 250. *aversa.* C. *adversa.* v. 260. *Mortis percussus amore.* C. *perculsus.* quod compluribus exemplis adstruit Barthius. Oudendorpius ad *Lucan. I.* 487. hanc differentiam facit inter haec duo verba, quae in codicibus perpetuo invicem permutantur: *percelli* nempe dici, qui quasi fulmine icti extra se rapiantur, & prae subita animi invasione nesciant, quid agant: *percuti* vero, qui quovis alio motu tanquam vulnere leviore ita afficiantur, ut sibi tamen prospiciant. Sed nescio an ad hanc regulam omnium locorum lectiones exigi possint, & debeant. Perquam raro videas constanter duarum vocum differentiam, quam critici tanquam certam & perpetuam proposuerunt, a scriptoribus fuisse observatam. Heinsius ad *Virgil. Aen. IX.* 197. probare videtur *percussus.* vide eundem ad *Georg. II.* 476. confer Bentleium ad *Horat, Epod. XII.* 2. & Burm. ad *Petron: c.* 111. v. 270. *Electro* —— deest in codice *Lipsiensi.* v. 288. *Aleae.* C. *altae.* perperam. v. 333. *hinc.* C. *hoc*, id est, propter hoc. vid. Obs. Misc. *p.* 256. l. c. v. 337. *tela.* C. *bella.* quod miror Barthio placuisse. Nam tela, addit, iam habebat. Imo habebat igitur quoque ferrum. Sed mater dicit, se ipsam tum illum ad bellum

bellum esse adhortaturam. Hanc certe vim haec verba habere puto. Quid vero est *bella dare?* an si loqui poteris? nisi fortasse velis dicere, verbum, quod alterutri tantum substantivo respondeat, proprie duobus subiunctum esse, de quo copiosissime egit Dorvill. ad *Chariton.* p. 395. v. 351. *gaudia vulgi.* C. *belli.* vid. Barth. v. 368. *fugit.* C. *fuit.* non bene. v. 410. *spirantibus extis.* hunc locum exemplis illustrat Burmannus ad *Anthol.* p. 203. v. 423. *opaca quies.* C. *operta.* quod puto glossatoris esse. *Opacam* vero *quietem* puto dici ut apud Ovid. *Met. III.* 438. *Sed opaca fusus in herba spectat* &c. ubi Burmannus dicit, opacam herbam hoc loco esse, quam opacat silva: quem ibi vide & ad *XIV.* 122. eadem varietas infra v. 540. a Barthio notata est. v. 460. *frondes.* C. *frontes*, quam lectionem iure laudat & probat valde Barthius. Ego locum de coronatione arae interpretor. v. 500. *sacravimus ignem.* C. *saturavimus*, quod, si Statii indolem cogito, non negligendum esse arbitror. An forte adiuvant loca Ovidii: *Ep. XIII.* 37. *scilicet ipsa geram* saturatas *murice vestes*, & *Met. XI.* 166. *Verrit humum Tyrio* saturata *murice palla:* aut *IV.* 758. *Largis* satiantur *odoribus ignes.* Senec. *Oed.* 632. *nec parum pluvio aetbere* satiata *tellus babitu sicco nocet* atque v. 563. *sanguinem libat focis solidasque pecudes urit & multo specum* saturat *cruore.* Et ipse noster *Sylv. I.* 2. *Robora Dalmatico lucent* satiata *metallo.* vid. Burm. ad *Petron. C.* 135. *At paries circa palea* satiatus *inani.* Certe si recordor, ignem dici *avidum*, dici *edacem*, dici *vorare* (exempla collegerunt Heins. ad Ov. *Amor. I.* 15, 41. & Burm. ad *Petron. C.* 122.) non nimium me haec formula offendit. Sensus tum foret hic: quorum in honorem

norem hunc ignem accendimus & nutrivimus. v. 505. *medicata venenis Colchis aget.* C. *armata.* Haec mihi lectio vehementer arridet: convenit enim hoc verbum nescio quomodo bene τῷ *agere.* (etsi non ignoro receptam lectionem multis exemplis stabiliri posse, ut apud Ov. *Med. Fac. vs.* 9. *Vellera saepe eadem Tyrio* medicantur *aëno*, ubi cod. Vat. *medicata veneno.* & sic saepius.) Virg. *Aen.* XII. 857. *Non secus ac nervo per nubem impulsa sagitta, Armatam saevi Parthus quam felle veneni.* Iustin. XII. 10. *sagittas veneno armant.* contra Calpurnius *Ecl. V.* 94. de serpente: *inani debilis ore Marcet & obtuso iacet exarmata veneno*, ubi vid. intt. v. 517. *Sed.* C. *si*, quod si probas, tum post *taceo* erit signum distinctionis delendum; si nihil de hoc dico, caussa est senectus mea. v. 522. *nigra patescunt Tartara.* C. *Flumina.* Hoc ego a manu Statii esse existimo. Nam dum aliquis minus notum verbum *flumina* explicare voluit, adscripsit: *tartara*, quae vox deinde in textum irrepsit, sed inde eiicienda est quantocyus. v. 529. *Supereminet.* C. *super iminet.* probe. v. 535. *augustam.* C. *angustam.* Quarum utra vera lectio sit, haud facile dixerim. Nam & poteris sic explicare: ipsam etiam umbram Aegeonis, cui vivo centum brachia fuerant, magnam aliquam & *augustam* prae se speciem ferre: & alio modo, ut Lutatius, per *tenuatam* interpretari. Nam aliorum interpretatio: *vinculis compressam* mihi non placet. Neque placet tertia interpretatio a Lutatio proposita: quia maior sit in umbra inani, quam in corpore magnitudo, ideo augustam vocari: quod de manibus dici non potest. Longe alia est res, si de umbra a corpore facta sermo sit. v. 546. *sparsas.* C. *sparso.* utrumque bonum sensum habet. v. 548.

effusi

effusi. C. *adfusi.* v. 550. *demat.* C. *demas.* recte. v. 555. *Insequitur, geminusque bibit*—— C. *Effluit amborum geminus*, de qua lectione v. Barthium, cui assentior. v. 588. *lumine.* C. *numine.* vitiose. Sic saepe haec verba confusa sunt. v. Oudend. ad *Lucan. VII.* 199. v. 607. *Noscit enim vultum.* C. *vultu.* v. 609. *prosilit.* C. *prolicit.* placet vehementer. v. 614. *Quo.* C. *Quas.* v. 631. *Qui leto dedit ense patrem.* C. *Qui laeto fodit* —— vid. Barth. Et quidni ita dicere liceat cum saepius enses *feri, scelerati, violenti, saevi*, occurrant? v. 644. *vincet.* C. *vincit.* saepe enim in vaticiniis res futurae quasi praesentes proponuntur, ut docet Burmannus ad Ovid. *Ep. V.* 117. & *Met. II.* 646. Notum est carmen Horatii *I.* 15. ubi Nereus, futura vaticinans, praesenti tempore utitur, vt *eheu quantus equis, quantus adest viris* &c. atque ita praesens tempus ponitur pro futuro. v. Spanhem. & Kuster. ad *Aristoph. Plut.* 65. *&* 70. v. 653. *geminae.* C. *gelidae.* non probo. indicat enim poeta duorum annorum spatium. sed saepe hae voces confunduntur. v. Burm. ad *Ov. Met. VIII.* 716. ubi etiam hunc Statii locum laudat. v. 674. *Natalesque rogi.* C. *Fatales.* sed praestat omnino vulgata. Magnum certe acumen quaesivisse videtur poeta his duobus verbis compositis, ipsa alias rerum natura disiunctis. v. 690. *voluntas.* C. *voluptas.* v. 699. *sitis arida.* C. *ignea.* quod, ut maius & potentius, melius videtur. v. 702. *tenerique* —— *seges.* haec desunt in codice. v. 704. *amnes.* C. *amnis* —— *natatos.* C. *natatus.* vulgata tamen longe pulchriorem imaginem efficit. Hi duo versus picturam exhibent, Apellis penicillo expressam. Atque talia occurrunt non pauca in Statii opere. Vtinam in totius operis descriptione tam felix

felix fuiffet. v. 712. *advolvens.* C. *adverrens.* v. 714. *fuetus.* C. *notus.* hic fequuntur in MS. hexametri feptem. *Indicat egeon deceptus imagine ripe ... it hyperionios cum lux effraena per orbem Rapta fuit phaetontis equos magnumque laborem Difcordes gemuere poli, dum pontus & arma ftellarumque ruunt crines, non maribus undae non lucis manfere comae fed multus ubique Ignis, ubique faces & largi fluminis inftar.* &c. quibus verfibus facile nos carere poffe exiftimo. Sed iudicent peritiores. v. 755. *corpora.* C. *robora.* v. 774 *optatis.* C. *oblatis*, ut faepe, vid. Burm. ad *Ovid. Met. III.* 246. v. 789. *renidens.* C. *renitens.* non puto tamen vulgatam deferendam effe. Caeterum totus hic locus de infante pulcherrimus eft. Confer cum eo Homer. *Il. Z. v.* 466. fequ. v. 833. *reportat.* C. *repoftas.* vitiofe, quantum iudicare poffum, nifi velis feriem verborum hanc facere: neque enim tibi cana bruma refundit nives repoftas, id eft, veteres nives in montibus pofitas & a fole liquefactas. Verum non placet fic. v. 843. *defenfas.* C. *defeffas.* male. haec mutatio frequens. vid. ad *Lucan. VI.* 84.

L I B. V.

V. 43. *Imo agedum (primi* — C. *Immo age (dum primi* — non invenufte. v. 67. *Vulgarent.* C. *Iactarent.* v. 105. *& pellite fexum.* quod magis placet. notum illud Horatii: *Naturam expellas furca* &c. add. *Lucan. V.* 166. *non unquam plenior artus Phoebados inrupit Paean, mentemque priorem Expulit atque hominem toto fibi cedere iuffit Pectore.* at infra v. 397. *redeunt in pectora fexus.* v. 122. *pariterque.* C. *partemque.* v. 137. *adverfis.* C. *averfis.* quas voces femper fere a librariis confundi obfer-

obſervamus. vid. Gronov. ad *Senec. Med.* 10. & adde longam diſputationem Heinſii ad *Ovid. Her. VII.* 4. ſic infra *v.* 641. *ubi* adverſo *dederat profecta tonanti* habet noſter cod. *averſo.* v. 146. *oſtia C. hoſtia.* v. 208. *Evinctum* C. *Et vinctum.* v. 212. *incertusque* C. *incertumque* nempe quem non agnovit. v. 224. *thorosque* C. *torosque.* v. 229. *tum* C. *cum.* vid. Obſ. Miſc. *p.* 265. v. 293. *ſed & C. Sedet.* unde nullum ſenſum elicio. v. 304. *Exturbare* C. *Et turbare.* v. 309. *non arva viri, non aequora* verrunt C. *vertunt.* quod probat Barthius. male. miror certe, virum, qui tam diligenter veteres ſcriptores legit, hanc cauſſam addidiſſe: *opus enim verbo, quod & aequorum & terrarum uſum habeat ſecum, in quo illud mancum eſt altero.* Quomodo ignorare potuit, ſaepe veteres notionem unius verbi propriam ad duo extendiſſe? vide quae diximus paullo ante ad *L. IV.* 337. & adde Duker. ad *Liv. I.* 33. 6. *II.* 11. 3. Burman. ad *Quintil. Inſt. Or. VI.* 1. Cort. ad *Saluſt. B. I. XVII.* 3. *XXXVIII.* 9. & alibi. Retineamus igitur vulgatam lectionem. Formulam *aequora verrere* multis illuſtrat Heinſ. ad *Ov. Amor. I.* 9. 14. & Drakenb. ad *Sil. XIV.* 263. v. 318. *ne* C. *ſi.* v. 329. *iurare* C. *vitare.* neſcio unde haec lectio irrepſerit. v. 371. *terris* C. *terrae* v. Obſ. Miſc. *p.* 266. v. 395. *fulmine* C. *lumine.* v. 441. *Ardet iter* C. *Audet.* quam lectionem recte probat Barthius. Similis conſtructio infra *X.* 425. *ego bella audere coegi*, apud Lucan. *IX.* 187. *in ſuperos audet convicia vulgus.* & ſic ſaepiſſime. vid. Gronov. ad Liv. *XXIII.* 14. 3. *Ardere* & *audere* confuſa eſſe obſervat etiam Burman. ad Claudian. *p.* 57. v. 458. *generaſtis.* C. *generatis.* v. 476. *ſtata* C. *ſtrata.* v. 569. *tua* C. *mibi.* v. 575. *haſta* C. *alta.* quod placet. Paullo

enim ante praecessit *hasta*, ad quod verbum hoc apte refertur. — *vota* C. *tota*. recte. v. 587. *libavit*. C. *libravit*. falso. fulmen quidem librari dicitur, non vero aliquid librare. v. 597. *tenera* C. *tenuia*. vid. Heinf. ad Ov. *Met. IV*. 221. v. 668. *Mitior* C. *mitius*. v. 678. *habeas* C. *habeasque*. quod fortius videtur. p. 710. *funera voto* C. *munere voti*, quae lectio non ineptum sensum efficit. v. 715. *tecta* C. *regna*. v. 732. *accessit* C. *accessus*. Sic etiam in O. M. p. 320. v. 733. *lectique* C. *laetique*.

LIB. VI.

V. 30. *fedet* C. *sed* &. v. 63. *hinc*. C. *hoc*. v. 70. *rogo* C. *thoro*. vtram vero lectionem eligas, idem esse videtur. *thorum* enim vocari lectum, in quo mortui efferebantur satis notum est, & docet Heinsius ad *Ovid. Am. II*. 14. 39. add. Kirchman. *de Funer. L. I. c*. 11. & Burmannum minorem, mihi usque ad cineres venerandum, ob dulces versiculos & pulchras picturas mihi dicatas, ad *Lact. El. de Phoen. v*. 89. Passim autem has voces confundi docet Burman. ad *Ov. Eleg. ad Liv. Aug*. 464. v. 71. *augentur funere* C. *augescunt munere*. quod licet bene explicari possit, tantis impensis in hoc funus collatis, iis maiestatem aliquam ac magnitudinis speciem conciliari, videtur mihi tamen vulgata praeferenda esse. Puto enim, si recte Statii indolem perspexi, illum τῷ *augentur funere manes*, nescio quid acuminis quaesivisse verbis coniunctis, alias sua natura sibi oppositis. v. 88. *abscissam* C. *accisam*. v. Duker. ad *Flor. II*. 2. & Drakenb. ad *Sil. XV*. 473. v. 109. *peredit* C. *peregit*. vid. Barth. v. 117. *geruntur* C. *gerebant*. v. 169. *Iusta* C. *Iura*. Sed non opus est aliquid mutare. nam pariter noster *IX*. 518.

518. *certe tumulos supremaque victis Iusta dabas* & *XII.* 34. *Certamen qui iusta ferant, qui funera ducant.* vide haec & plura exempla apud Heinf. ad *Ov. Trist. IV.* 10. 80. & Oudend. ad *Lucan. IX.* 67. v. 184. *Sic fata* C. *dixitque*, quod probat Barth. v. 188. *advexit.* C. *avexit.* v. 205. *nefasto.* C. *nefastos.* v. 214. *surgit* C. *urget.* v. 223. *velantibus* C. *vibrantibus.* v. 227. *multa gemunt* — usque ad v. 233. *armis.* desunt in cod. & recte quidem. v. 242. *accelerante manu* C. *accelerasse manus.* v. 270. *ingens* C. *angens.* quod placet. dicit, Herculem Leonem pectori adstrinxisse, & ita anxisse. v. 274. *Laetus* C. *Levus.* v. 318. *nec* — *nec* C. *ne* — *ne* non male: ita, ut haec verba orationis rectae initium sint. v. 380. *colu* C. *colo.* v. 391. *decora ampla* C. *decorique.* v. 409. *e summo* — *monte* C. *in summos* — *montes* pessime. v. 415. *valebat* C. *volebat.* v. 456. *Inflicti* C. *Inflecti.* v. 471. *eiectat* C. *iniectat.* perperam. v. 492. *favoris* C. *favori.* v. 495. *monstri* C. *monstra.* p. 511. *Effulsere* &c. compara cum hoc Statii loco laudata loca a Dorvilio ad *Chariton. p.* 16. v. 583. *Exstimulant* C. *Instimulant.* v. 594. *leves* C. *leve.* v. 599. *impasti* C. *infausti.* quae lectio mihi valde arridet, etsi non ignoro, hoc epitheton saepissime a poetis leoni tribui. Sed nonne si dicamus, audiri procul fremitum leonis, satius est *infausti* addere, quam *impasti?* Nam quemadmodum hoc bene ponas, si leo v. c. impetum in greges faciat, ita quomodo e fremitu intelligi possit, leonem impastum advenire, non video. Denique mihi facilius librariis vox satis nota & quasi communis, quam haec rarior & exquisitior in mentem venire potuisse videtur. De ipso verbo *infaustus* v. Barth. ad *Theb. IV.* 742. Turneb. *Advers. XVIII.* 11. & Broukhuf. ad *Tibull. II.* 5. 80.

Similiter *infelix* uſurpatur de eo, qui alios infelices reddit: Ovid. *Met. IV.* 489. *Obſtitit infelix aditumque obſedit Erynnis.* adde Liv. *III.* 48. & pariter *felix*, qui felices reddit alios. v. Cicer. *Phil. II.* 26. Liv. *IV.* 2. v. 617. *metae* C. *portae.* infra v. 641. *Irrupit clamore fores.* v. 627. *Conſilium* C. *Concilium.* quae lectio bona eſt, atque etiam confirmari videtur optimo libro Barthiano, qui habet *Cunctantur.* hae voces alias ſaepe confunduntur v. ad Ovid. *Ep. XVII.* 268. & *Art. I.* 353. v. 629. *latus hoc* C. *litus.* niſi me offenderet nimis auribus meis moleſta repetitio eiusdem ſoni: *compeſcite, litem, iterum, ite, limite, Idae,* putarem, hoc verbum non negligendum eſſe. v. 631. *favent* C. *parent.* Falſo. verbum hoc e gloſſa ortum eſſe cuivis patet. v. 642. *preſſaque* C. *prenſaque* utram lectionem eligas, idem prope erit. Sed cave locum hunc intelligas de manu Adraſti a Parthenopaeo preſſa, quam interpretationem miror cuiquam in mentem venire potuiſſe. v. 664. *redit* C. *rediit* vid. Barth. v. 706. *movet* C. *monet.* quod illo melius videtur, tarde enim ad certamen progreditur. v. 741. *Materiem* C. *Materie.* v. 743. *nudus* C. *nudum.* v. 760. *iactu* C. *tractu.* v. 767. *reiicit* C. *eiicit.* v. 773. *inſtatque* C. *intratque.* v. 775. *ferentem* C. *furentem.* v. 776. *minatur* C. *minatus.* v. 778. *Advocat* C. *Avocat.* v. 786. *multiplicatque manus:* recte Schol. interpretatur ictus manuum, ut pluribus docet Burman. ad *Quintil. Inſt. Orat.* V. 13. *p.* 476. v. 836. *improbus* C. *arduus.* Sed de proceritate Agyllei iam iam aliquoties dictum eſt; immo paullo ante v. 833. iam adfuit: *levat ardua contra Membra. improbum* vero explico audacem, arrogantem, pluraque, quam fas eſt, ſibi tribuentem. [illegible] vid.

vid. Duker. ad *Flor. III.* 10. 17. & Oudendorp. ad *Lucan. VII.* 760. qui de hac verbi huius significatione pluribus egerunt. adde etiam Burman. ad *Petron.* C. 83. Omne enim, quod modum excedit, *improbum* dici Latina lingua & notum est, & docet etiam Salmaf. ad *Tertull. de Poll. p.* 184. Convenire hoc epitheton Agyllaeo cum res ipsa docet, tum etiam indicatur v. 840. *inde haec audax fiducia tantum Oenidae superare parent.* Barthius, qui haec de Tydeo dicta esse putat, & poetam incogitantiae accusat, dormitasse videtur. Nihil enim ipsum locum inspicientibus hac nostra sententia clarius erit. v. 848. *Vara* C. *Clara.* v. 852. *Vrgentes* C. *Vrguentes.* ut semper: de qua scriptura consule Drakenb. *ad Sil. VI.* 265. & Cortium ad *Sallust. B. I.* c. 24. v. 899. *pressus* C. *pectus.* v. 931. *rerum* C. *regum.* Sed a manu secunda.

LIB. VII.

V. 19. *iusta* C. *busta.* Similis varietas apud *Lucan. IX.* 67. Sed & τὸ *sedere* & res ipsa requirit *busta.* v. 42. *adverso* C. *averso.* v. 59. *Pene* C. *Pone.* Sed a manu secunda. vid. Barth. v. 74. *diriguit* C. *deriguit*, ut saepissime. vide omnino Oudend. ad *Lucan. I.* 246. v. 104. *vovebat* C. *volebat.* eadem varietas a viris doctis observata ad Ovid. *Met. IX.* 362. & alibi. Sed cum de voto regis sermo sit, recte Barthius illud praetulit. v. 112. *quaecunque libet* C. *quacunque velit.* Sed prior vox aperte corrupta est. nescio tamen, cur nos Barthius post haec verba distinctionem ponere iubeat. Nam possis haec etiam, & fortasse melius ad sequentia referre; nempe ad omnia

credenda, quae velit, five jubeat credi &c. v. 125. *eftne* C. *autem.* Barthius probabat hanc lectionem, & mirifice repetitionem fyllabae non lenis rei afperitatem augere putabat. Mihi autem, neque tantam rei afperitatem obfervare licet, neque moleftiffimum fonum laudare iubet. Sic fumus homines. nulla in re aegrius convenimus, quam quae aurium iudicio definiri debeat. v. 134. *contorfit* C. *concuffit.* quod placet. Requiritur enim fonitus quidam & fremitus, quo excitentur Argivi, quemque exaudiant. Apud Lucan. *IV.* 102. eft: *Subitisque frementes verticibus contorfit equos.* Sed merito ineptam lectionem reiicit vir elegantis doctrinae, Oudendorpius, τῶν ἐν ἁγίοις, & bene fubftituit *aquas.* v. 138. *Martis* C. *Mortis.* v. Obf. Mifc. p. 331. v. 158. *iaculatum nubibus* C. *iaculatus nuribus:* perperam. v. 183. *imis* C. *unis.* quae permutatio frequens. v. Drakenb. *ad Lib. IV.* 112. v. 190. *placidus* C. *placitus.* bene. vide omnino Heinf. ad *Ovid. Ep. XIX.* 208. v. 213. *luftra* C. *iuffa.* v. 257. *ora* C. *ore* non bene. v. 260. *fylvis* C. *virgis.* v. 262. *Qui* C. *cui*, ut etiam Barthius legit. v. 271. *plebes* C. *pubes.* Drakenb. ad *Sil. VIII.* 271. v. 317. *Fontibus* C. *Pontibus.* nihil melius, ut iam Barthius vidit Nam τὸ *fontibus* minime convenit τῷ *abruptis.* v. 334. *abit quaque* C. *habet teque.* v. 345. *labida* C. *lebadia.* v. 347. *Aenemoraeam* C. *animoriam.* v. 363. *voluptas* C. *voluntas.* falfo. v. 374. *rector* C. *ductor.* Sed fequitur ftatim v. 376. *ductor.* v. 445. *obftant* C. *inftant.* v. 524. *quidve ifta* C. *quid veftra.* male. fua enim ubera oftendit. v. 533. *avibus* C. *avidus.* Sed videtur illa lectio in editione Lindebrogiana ex errore typographi orta, cuius multos obfervavimus paffim fimiles. v. 534. *omnes.*

C. *ocu-*

C. *oculos*. v. 575. *cibos* C. *dapes*. quod fere idem est. sed cum etiam vini mentio fiat, nonne melius videtur τὸ *dapes*? vid. Cl. De Rhoer in *Fer. Daventr.* *L. I.* C. 7. v. 594. *ferro* C. *telo*. v. 601. *manent* C. *mallent*. recte. v. 608. *ecce gravi* C. *& graium*. vid. Barth. v. 613. *Nunc* C. *Num*. vid. Obs. Misc. *p.* 336. v. 634. *iuvenis* C. *iuveni*. Lucan. *VII.* 318. *ne caedere quisquam Hosti terga velit*, quod probat, quem vide de hac constructione Burm. ad *Ovid. Met. VI.* 659. *caput Philomela cruentum Misit in ora patri*. add. Oudend. ad *Lucan. I.* 193. v. 690. *Eminet* C. *Imminet*. v. 707. *fragrante* C. *flagrante*. Lucan. *VII.* 559. *atque animis ignes flagrantibus addit*. & 383. *tam moesta locuti Voce ducis flagrant animi*, quanquam paullum diversus hoc loco verbi huius sensus est. v. 737. *iaculum* C. *iaculo*. quanquam a manu secunda — *in Hersen* C. *inertem*. indicent viri docti. mihi nunc quidem nullum exemplum τοῦ *detorquere* pro deturbare, deiicere, succurrit. v. 746. *arma* C. *arva*. quod rectum videtur. v. 772. *longam* C. *largam*. v. 800. *muri* C. *muris*. v. 805. *contempto* C. *centeno*. perperam. v. 811. *Exedit*. C. *Excedit* forte non inepte, si dicas: hanc notionem iam inesse τῷ *terendo*. *Excedere* cum casu quarto frequenter positum est, ut docent Heins. & Burm. ad *Ov. Met. II.* 517.

LIB. VIII.

V. 5. *atris* C. *artus*. unde nullum sensum elicio. v. 15. *ulteriore* C. *inferiore*. v. 35. *Admovet* C. *Admonet*. quod illi praefero. v. 48. *Arcada nec* C. *Accedam &*. Sed clarum est, nomen Mercurii requiri. v. 51. *vorticibus* C. *verticibus*. vid. Dra-

Drakenb. ad *Sil. III.* 475. & quos ibi laudat, atque Oudend. ad *Lucan. I.* 371. idem eſſe utrumque docet Burm. ad *Claudian.* p. 55. v. 71. *rabidarum* C. *rapidarum.* ut ſaepe, vid. Burm. ad *Claudian. p.* 32. v. 89. *Vita* C. *vitta* recte. v. 90. *Si licet.* C. *Scilicet.* blanditur nobis haec lectio. nam quod ſtatim ſequitur *fas eſt* idem ſignificat, quod *licet.* v. 110. *operto* C. *aperto* vid. Barth. v. 156. *repugnant* C. *ruuntque.* apage. v. 162. *remiſſa* C. *permiſſa.* recte. formula ſatis nota eſt. v. 186. *vocaſti* C. *vacaſti.* Ovid. ex *Pont. III.* 1. 142. *Corporis ad cultum vix vacat illa ſui.* & ibid. *III.* 3. 36. *In nullum mea mens grande vocavit opus,* vid. Heinſ. ad *Ov. Amor. II.* 6. 30. v. 191. *parcus* C. *parcas.* vid. Barth. v. 220. *marcens* C. *marcent.* recte. v. 226. *tempore* C. *pectore.* v. Obſ. Miſc. *p.* 341. v. 227. *fata* C. *facta.* v. 305. *animasque* C. *animarum.* v. 308. *que viros* C. *vires.* v. 326. *venimus* C. *veniemus.* v. 368. *alas* C. *aras.* v. 376. *Admonet* C. *Admovet.* v. 378. *amictu* C. *biatu.* quam lectionem multis exemplis confirmat Barth. v. 384. *Armipotens* C. *Bellipotens.* v. 389. *Conantur* C. *Conatur.* Sic Sil. V. 256. *Subſidensque ilia niſu Conantis ſuſpenſa fodit.* vid. Heinſ. ad *Ouid. Met. XII.* 342. Sic etiam Statius noſter non ſemel. exempla congeſſit Barthius ad *VI.* 804. v. 420. *Seſe* C. *Saepe.* v. 444. *Progrediens* C. *Pregrediens.* v. 457. *Aemon* C. *heros.* v. 468. *ictu* C. *actu* v. ad *II.* 9. v. 485. *obſeſſum* C. *obverſum.* an ita hoc explicabimus. ut apud. Ov. *Met. XII.* 467. *faciemque* obverſus *in agmen utrumque, Armaque concuſſit* &c. v. 507. *foves* C. *voces*; & *voves* a manu ſecunda — *Hylum* C. *illum.* v. 522. *pudor* C. *pudet.* v. 580. *inſpectis* C. *poſitis.* Novi *ponere* eſſe frequenter idem quod *diſponere.* Sed quid

quid *disponere astra* sit, ignoro. Certe, non memini me similem formulam legere. An sic est haec formula explicanda, ut illa: *calculum ponere?* de qua vid. Burm. ad *Petron.* C. 101. v. 553. *musae* C. *mutae.* v. 557. *Adversatus* C. *Aversatus.* Sic saepe variant codices. v. ad *Ov. Fast. I.* 5. v. 627. *intulit.* C. *attulit.* v. 631. *Omnia* C. *Omina.* v. 657. *volunt* C. *volunt.* bene. v. 688. *ubi* C. *ibi.* v. 692. *oppresso* C. *adprenso.* quae lectio non multum diversa est ab illa, quam Barthius probat: *imprenso.* v. 702. *vovent.* C. *movent.* Sed dicit poeta, unum illum ab omnibus telis petitum fuisse: compara similem locum Homeri Il. Δ. 126. ἆλτο δ' ὀϊστὸς Ὀξυβελὴς, καθ' ὅμιλον ἐπιπτέσθαι, μενεαίνων. & noster *XII.* 595. *Sitit meritos etiamnum haec hasta cruores.* add. v. 750. v. 722. *tollunt* C. *miscent.* vtraque formula saepe apud veteres Scriptores occurrit.

LIB. IX.

V. 21. *peragant* C. *pergant.* quam lectionem nescio cur *explodendam* esse censeat Barthius. nam si recte locum consideres, eundem fere sensum elici videbis, quocunque modo legas. Haec verba alias etiam confusa esse docet Burm. ad *Ov. Fast. I.* 188. v. 23. *mirantur* C. *miserantur.* Sed illud hoc loco praestat. vid. de hac varietate Oudend. ad *Luc. IX.* 832. v. 44. *seu* C. *ceu* recte. v. 53. *Quando* —— deest in codice Lipsiensi. v. 60. *hunc* C. *hoc.* nimis calide Barthius *ineptire* dicit libros, in quibus haec lectio. Nonne enim factum, aut scelus, aut aliquod simile verbum facile subintelligi potest? Sensus profecto idem foret. v. 71. *ni* C. *num.* v. 89. *collecta* C. *col-*

lata. quod recte reiicit Barth. similis varietas notata ad *Ov. Fast. V.* 311. v. 123. *Turba* C. *Turma.* v. 141. *Terque trahunt* C. *Ter retrahunt.* v. 148. *retexens* C. *recensens*, vid. Obs. Misc. *p.* 443. ubi laudatur Gronovius. v. 157. *Ille* C. *Illa*, quod probatur ibid. *p.* 344. v. 162. *versare* C. *lapsare.* v. Barth. quamquam illud satis frequens est poetis. vid. Oudend. ad *Luc. VII.* 605. *Viderat in crasso versantem sanguine membra.* v. 178. *inerat* C. *aderat.* v. Barth. v. 187. *infesta* C. *infecta.* quod omnino bonum est. v. 209. *tumido* C. *timido.* falso. est enim quasi superbus hic equus, & ideo neminem, praeter Tydeum, patitur, at de v. 217. *tumidumque equitem post Tydea portes* non dubitabo meam coniecturam exponere. Nam quoniam & τὸ *tumidus* statim adfuit, & v. 212. *nusquam tibi dulce* superbi *Regis opus*, offendit iterum positum hoc verbum. Puto Statium scripsisse *timidum.* Antea portasti Tydea, fortem heroem, nunc sequere, ne posthac ex hostibus *timidum* aliquem homuncionem portare debeas. Non inepte mihi sic hunc locum restituisse videor. v. 223. *inopinaque* C. *nec opinaque.* v. 247. *Eminet* C. *Emicet.* v. Oudend. ad *Luc. V.* 76. v. 308. *parva* C. *prava.* perperam. v. 318. *depellere.* C. *defendere.* Haec est vera lectio: illa autem a manu hominis perfecta, qui minus vulgarem significationem huius verbi pro arcere sic explicare voluit. Quis ignorat Horat *I.* 17. *igneam defendit aestatem capellis.* Sed quid cumulemus exempla? vid. praeter alios Stevvech. ad *Veget. III.* 21. v. 342. *Deum qui C. Deumque.* v. 343. *irrumpis* C. *irrumpit.* v. 352. *rupe* C. *valle.* an ita capiamus, ut supra V. 523. *vacuis fluviorum in vallibus errat?* & video Burmannum ad Ov. *Met. II.* 256.

ex-

exponere de alveis fluviorum. quia inter duas ripas vallium fpeciem habeant. v. Cl. De Rhoer. in *Fer. Daventr. L. I. C. 7.* v. 406. *amnis* C. *annus.* recte. bene enim notat Barthius *annum* defignare proventum annuum, five largam meffem, ut nos explicamus, & fertilitatem. vide de hac fignificatione Gronov. *Obf. IV.* 5. & quos larga manu dat Oudend. ad *Lucan. III.* 68. ubi etiam notat, faepe hanc vocem hoc fenfu abiiffe in *amnis.* v. 413. *tumido* C. *tumulo.* vitiofe. v. 474. *tenet* C. *natant.* male. v. 478. *famulate* C. *famulante* a manu prima. v. 483. *trunca fed* C. *truncas in* —— *quercu* C. *quercus.* v. 495. *qua* C. *quas.* v. 497. *quam* C. *qua.* v. 532. *Procumbit* C. *procubuit* a manu prima. v. 541. *caffide* C. *cufpide.* praefero illud, quoniam ftatim fequitur, Hypfeum galeam in gladio circumtuliffe. Alioquin dicendum foret, illum cufpide gladii galeam folviffe. Permutatio fimilis notata eft ad *Ov. Faft. III.* 8. v. 552. *que per aerea* C. *per & aera.* quod proxime accedit ad Barthii lectionem. v. 572. *plantis* C. *palmis.* v. 587. *Eiectam* C. *Electam* —— *colendum* C. *colendo.* id eft, cultum illi, quafi numini cuidam exhibuit, & hoc cultu quercum reddidit facram. v. 600. *Abrupere* C. *Abripuere.* fere a fecunda manu. v. 612. *non unquam* C. *non nunquam.* v. 616. *animo* C. *animum.* ut fupra *Cadmeius heros Adcurrit vultum deiectus, & tota perfufum pectora belli Tempeftate videt.* Sed nihil frequentius. v. 617. *culpam* C. *crimen.* Barthius illam lectionem probat; & recte interpretatur ftuprum & amiffam pudicitiam. Sed funt multa loca, ubi *crimen & crimina* idem notant. vid. Burm. ad *Ov. Met. VI.* 131. utrum igitur praeferamus? ἐπέχω. v. 635. *precor* C. *prior.* v. 691. *neverat* C. *no-*

C. *noverat*. male. v. 699. *gemmis*. C. *geminis*. v. 705. *micantes* C. *trementes*. quod pluribus adstruitur in Obf. Mifc. *p.* 347. v. 713. pro *violata* Chriftius coniecerat *molita*, quod neque capio, neque probo. v. 725. *moriture* C. *periture*. v. 731. *Decidit* C. *Effugit*. v. 749. *faevit* in C. *Saevius*. v. 770. *fugit* C. *figit* a manu prima. v. 780. *miferos* C. *meritos*. v. 836. *armigerum* C. *armiferum*. iam recte obfervavit Oudend. ad *Lucan. I.* 48. nihil effe frequentius commutatione illa definentium in *fer* & *ger*. fic in verbo *enfifer* faepiffime codices variant. vid. Ovid. *Faft. IV.* 385. & *Art. II.* 56. etiam Lucan. *I.* 665. v. 840. *devicta* C. *evicta*. v. Obf. Mifc. *p.* 349. v. 847. ita in cod. Lipf. exhibetur: *Epitumque duces talepheaeque phalanges*. v. 850. *turmas* C. *turbas*. v. 900. *fecandum* C. *fecatum*.

L I B. X.

V. 33. *flammam* C. *flammis*. v. 42. *infeftis* C. *infefti*. v. 105. *funt* — usque ad v. 111. *flammis* defunt in noftro cod. v. 121. *trucem* C. *trucis*. v. 128. *dubius mixtusque* C. *dubium mixtumque*. v. 154. *repens* C. *recens*. Sed praefero verbum illud bonum licet faepiffime a librariis corruptum. v. Gronov. ad *Liv. VIII.* 29. &, qui plura exempla dabit, Heinf. ad *Ov. Met. XII.* 61. v. 160. *nudus* C. *nullus*. Sed a manu fecunda, perperam. frequens haec varietas. vid. Burman. ad *Ov. Amor. I.* 8. 113. v. 161. *tendit* C. *reddit*. non capio. at fi vulgatam teneas, pulchra eft imago hominis furibundi. v. 161. *ferro* C. *furor*. a manu fecunda, unde Chriftius coniecit, *fervor*. Sed nihil opus eft mutare quidquam.

v. 283.

v. 283. *pacata* C. *placata.* Heinsius ad *Ov. Met. VIII.* 845. *implacataeque vigebat Flamma gulae*, ubi etiam quidam codices habent: *impacataeque*, τὸ *placare* probat variisque exemplis confirmat. v. 285. *facta* C. *fata* a manu prima, sed vitiose. v. 305. *Proturbat* C. *Perturbat.* vid. Drakenb. ad *Sil. IX.* 447. Iure Barthius notat hyperbolen immanem. Per Deum! quomodo sanguis & vinum talia efficere potuerunt? Venit mihi in mentem locum sic emendare: *Prô turpat.* quod tolerabilius foret. nempe sanguine infectam & commaculatam esse mensam. Sed sequentia obstare videntur. Quare dicamus potius Statium, ut saepe, poetice, non humane locutum esse. v. 431. *Somnum* C. *summum.* unice vere. v. 432. *turbarem* C. *turparem.* v. 433. *emimus* C. *quimus*, a manu prima. — *sic* C. *si.* perperam. v. 473. *exterit* C. *exerit.* falso. Phaedr. *I.* 21. *Asinus ut vidit ferum Impune laedi, calcibus frontem exterit.* Sed vide plurima exempla congesta a *Heins.* ad *Ov. Amor. I.* 9. 12. v. 522. *& ariete* C. *artata.* non probo, nam quidquid Barthius dicat, *trabes sonoras* concoquere nequeo. Neque tamen locum ita explico, ut vet. Schol. per *saxa trabibus vincta*, sed potius sic: eos & trabibus & ariete saxa disiicere conatos esse. verum si τὸ *&* retineamus, claudicat versus. Abstinebo tamen manus, ne forte violentiorem medicinam faciam. v. 531. *fenestrae* C. *faretrae.* male. Statim enim *fastigia* commemoravit poeta. v. 570. *exegit* C. *prorexit.* ubi notavit Christius Scholiasten interpretari: *provocavit in iram* vid. Barth. v. 664. *pubes* C. *plebes.* v. 678. *fixum* C. *fessum.* Si hoc probas, intelligere debes de Maenoeceo, tot caedibus fesso & defatigato: sin illud, de Agreo Pylio, quem hic mo-

modo interfecit. v. 707. *timidus* C. *tumidus*. male. dicit: non ego timore, patrum in filiorum periculis proprio, hoc suadeo &c. v. 726. *ferenti* C. *furenti*. Sed falso. id quod e sequentibus, *leviterque vehant*, clare apparet. v. 729. *Aechiona petam* C. *Aetiona repetam*. v. 742. *Deferat* C. *Deferat*. Novi quidem *Deferre* notare etiam secum abripere detrahere, cuius significationis exempla dabit Drakenb. ad *Sil. IX.* 395. sed nescio an, quod Barthius putat, huic loco hic sensus aptari possit. Ipsum locum attente considera. Dicit Statius hastam redire sanguinolentam. Atque malim credere, pro τοῦ *deferre* aliud verbum, quod *percutere*, *perfodere*, notet, scriptum fuisse. Sed non acriter pugnabo. v. 765. *attonitis* C. *attonitus*, quod ob statim sequens verbum vatis magis blanditur. v. 774. *fecit* C. *Flectit*. nempe illum tantum secum corpus inclinasse super acies, nondum desiluisse. Quod ideo magis arridet, quia non cecidit, sed virtus Pietasque corpus detulerunt. v. 783. *Conditur* C. *Conditor*. vere. vid. Barth. v. 794. *alternis* C. *alterni*. v. 802. Noli *proavum* pro accusativo accipere. nihil enim communi interpretatione facilius & sanius. τὸ *effloruit* paullulum quidem audacius positum est, sed non male: Terram, quae alioquin flores pariat, peperisse arma. v. 816. *tepidi* C. *trepidi* vitiose quidem hoc. Sed quomodo illud explicabimus? an sic? adhuc tepidum esse saxum a catulis, qui in eo cubare soliti. v. 850. *fama* C. *fata*. v. 853. *nulla* C. *una*. perperam. ideo dicit illos saxa, robora &c. deiecisse, quoniam in iaculis & sagittis nullam spem posuissent. v. 869. *mentita* C. *moritura*. v. 873. *Destruit* C. *Restruit*. v. 874. *labant* C. *dabant* — *dissepto* C. *discepto*.

v. 926.

v. 926. *Intra* usque ad v. 928. *tractat* desunt in cod. Lipsiensi. v. 931. *Ne* C. *Nec*. quod verum est. Ineptus Scholiastes Barthianus cum suo, *ne supinus caderet*; melius Lactantius.

LIB. XI.

V. 21. *ferrumve* C. *aut ferrum mortale* unde coniecit Christius: *Nec turmae hostiles ferrum aut mortale timetur*. quae emendatio, notante Barthio, etiam Lindeborgio in mentem venit. v. 24. *tonant* C. *premunt*. apage. v. 46. *astris* C. *alto*. v. 58. *fraterna cludere* C. *fraternaque ludere*. v. 59. *fidit* C. *retur*. v. 62. *consedit* C. *concedit*. v. 73. *profundae* C. *profundi*. Lucret. V. 418. *Fundavit coelum & terram pontique profunda*. v. 75. *innixa* C. *innexa*. v. 86. *foedantem* C. *foedatum*. v. 131. *coelo* C. *soli*. placet valde, namque neque solem tam triste & infandum spectaculum adspicere debere. Si etiam subtilius quaeras; notio τοῦ *coeli* iam latet in τῷ *Coelicolae*. v. 141. *aeger conciliis* C. *consilii*. v. Gronov. ad *Liv*. XXX. 15. v. 153. post *ultro* est in cod. *propriam*, ita ut pes abundet. v. 163. *nempe*. C. *namque*, ut saepe. vid. ad *Ov. Met*. *Il*. 474. v. 164. *vereare* C. *venerere*. v. 175. *ego me* C. *egomet*. falso. v. 186. *spectent* —— deest in cod. Lipf. v. 191. *neges*; *urnaque reponas*. C. *tegas urnamque reportes*. optime. τὸ *raptum* cum ad alites tum ad fratrem refertur, & ideo distinctio post *Alitibus* est tollenda. Vltima sic explicari debent: urnam, in qua cineres sui conditi sint, exportari atque ad Mycenas deferri debere. v. 254. *effert* C. *offert*. v. 256. *vaccae* C. *valles*. v. 257. *Non* C. *Nec* —— *regi*. C. *regni*. v. 272. *stat*. C. *sat*. recte. v. 283. *Sors*. C. *Fors*.

C. *Fors.* vid. supra. v. 285. *rarum.* C. *ararum.* vid. Barth. v. 286. *iussas* C. *iussus.* recte. est illa lectio iterum, ut saepe, ex errore typographi orta. v. 287. *vacatus* C. *vocatus.* Christius coniecit, *vadatus*, quod non probo. Lucan. *III.* 336. *Vel cum tanta vocent discrimina Martis Hiberi.* vid. Drakenb. ad *Sil. X.* 112. v. 291. *iube* C. *iubet* — *hic* C. *hinc.* v. 296. *audis* C. *audes.* v. 299. *Fata* C. *Facta*, a manu secunda. v. 301. *tacet* C. *latet.* v. 336. *alternos* C. *alternus.* venustius. v. 363. *aspice turrim* C. *respice turrem.* v. 415. *Abstitit* C. *obstitit.* Falso. Minervam dicit recessisse. v. 453. *miserabile* C. *venerabile.* v. 459. *Non habitu* — deest in MS. Sed perperam. v. 469. *vacarent* C. *vacabant.* Quod si probas, explicabis: eo tempore, quo tantummodo Deucalion & Pyrrha in terris erant, neque praeterea alius quisquam vixit, melior fuit rerum conditio. v. 471. *Auxilium tentemus.* C. *Auxilio tempus.* Sed claudicat versus. Liceтne ei coniectura succurrere? Emendo autem sic: *speculataque tempus, Auxilio* nunc *tempus ait*, aut, ut Barthius voluit, *Auxilio* ad praecedentia retrahamus: *s. t. Auxilio*, nunc *tempus ait.* Quam facile *um* & *nunc* permutari potuerunt & coalescere? de vi particulae *nunc* v. Heins. & Burm. ad *Ov. Met. VII.* 332. *Quid nunc dubitatis inertes?* & ad *Epist. Ov. XVIII.* 95. v. 504. *effosso* C. *effuso.* vitiose. v. 515. *esse* C. *ille.* v. 557. *an* C. *non.* bene. v. 571. *stat* C. *instat.* quod sic explicandum erit: si nobis subeundum est iudicium Minois & Rhadamanti: si nos exspectat, nobis imminet urna &c. v. 604. *muta* C. *multa.* Virgil. Aen. V. 242. *Ipse ratem nocturnis rexit in undis Multa gemens*, Stat. *XII.* 55. *queritur miserabile Graium nuda cohors.* & sic saepissi-

pissime. v. 640. *prorupit* C. *Perrumpit.* v. 641. *lectus* C. *pectus* v. 647. *legebat* C. *ligabat.* v. 742. *Sylvae montesque tremebant* C. *Silvaeque amnesque premebant.* Sed probare hanc lectionem nequeo. Nam primum non intelligo, quid sibi velit τὸ *premebant*, cuius nullus hoc loco sensus est. Deinde *montes* quidem puto leonem timere dici posse, non vero *amnes*, quibus nullum damnum adfert. v. 746. *peractas* C. *solutas.* non male, ut puto. Ov. *Met. VIII.* 712. *annis aevoque soluti.* Lucan. *II.* 559. *licet ille solutum Defectumque vocet.* v. Burm. ad *Petron. C.* 111. *p.* 669.

LIB. XII.

V. 1. *vigil* C. *viduo.* fortasse non male. Nam quemadmodum Virg. *VIII.* 571. *multis viduasset civibus urbem* dixit, ita etiam Statius se cœlum, in quo nulla astra luceant, *viduum* appellare posse putavit. v. 9. *primo* C. *primus.* v. 11. *vacantis* C. *vocantis.* non aptus sensus. in campis dicit nullos hostes videri: eos vacuos esse copiis &c. v. 15. *prospicuae.* C. *perspicuae.* male. v. 20. *turma* C. *turba.* v. 30. *Scapulis* C. *capulis.* recte. v. 32. *Nulla* C. *Mille.* a manu secunda. v. 45. *fruuntur* C. *feruntur.* Non cepit elegantem usum verbi *frui*, qui hanc lectionem commentus est. vid. Barth. v. 66. *Accubat* C. *Occubat.* Christius adscripsit: recte, quia pronum corpus in toro. v. 72. *magnanimae nimius* C. *magnanimus tantæ.* v. 81. *non si* C. *nec sic.* v. 101. *iuvisse* C. *ussisse.* v. 108. *pectora* C. *corpore.* v. 134. *adversos* C. *aversos.* recte. dicit enim vias remotas, ignotas, abditas, qui sensus huic verbo inest, ut docent Gronov. ad *Senec. Med.* v. 10. et Oudend. ad

Lucan. VIII. 337. & *III.* 345. *Vndarum raptos aversis fontibus haustus quaerere*, ubi similis est varietas. v. 141. *bianti* C. *inani.* vitiose. infra v. 346. *quanto descendit vulnus biatu.* v. 168. *pallore gelati* C. *notati*, ut apud Ov. *Met. IV.* 329. *pueri rubor ora notavit* & *VI.* 46. *subitusque invita notavit Ora rubor.* atque Amor. *III.* 6. 78. *Desit famosis, qui notet ora, pudor.* Sed praefero illud verbum, ut magis poeticum, magisque Statianum. v. 222. *nec* C. *nil* — *ore* C. *aure.* v. 226. *lecto* C. *leto.* v. 236. *Praeterit* C. *Praeter* &. bene. v. 297. *visus* C. *visu.* v. 359. *frater* C. *quaerit.* perperam, ut puto. Nullum certe sensum hinc elicio. v. 362. *Cum* C. *Quin.* v. 410. *Qui* C. *Qua.* v. 427. *Sit* C. *Sed.* v. 423. *dissensuros* C. *discensuros.* Fortasse scripsit Statius *discessuros.* dicit flammam in duas partes scindi. Statim infra: *exundant diviso vertice flammae*, & *ipsae etiam commoto pondere paullum* secessere *trabes* atque *cernisne ut flamma* recedat. &: *rogi discordis biatus.* Dici vero posse puto, ut apud Lucan. *III.* 632. *Aequora* discedunt *mersa diducta carina*, ubi Scholiastes notat: *discedunt* i. e. *dividuntur* & advocat locum Sallustii: *atque omnis Italia animis discedit* & Virgilii: *medium video* discedere *coelum.* vide ibi Oudend. & ad *II.* 121. ibidemque magnum Grotium. Copiosissime vero de hoc verbo agit Heinsius ad *Ov. Fast. III.* 371. v. 438 *umbras* C. *umbrae.* v. 445. *inops aequi* C. *in obsequia.* Sub quibus verbis fortasse bona & vera lectio latet. Quid si putemus dictum esse a Statio *in obsequio*, ut frequenter occurrit *in armis*, *in vestibus* &c. pro *armatus*, *vestitus* &c. de qua periphrasi vid. Drakenb. ad *Sil. II.* 132. & Cortium ad *Sallust. B. C.* 37. 6. sed dubito valde, an ita

dici

dici possit pro obsequiosus. certe me non memini simile exemplum legere. Aut interpretabimur per adverbium? de qua vi praepositionis *in* vid. Reinesium ad *Petron.* C. 62. p. 410. v. 501. *ritu* C. *ritus*. v. 514. *priorum* C. *parentum*. v. 520. *curru* C. *cursu*. male. v. 536. *operto* C. *aperto*. v. 556. *erant*, *omnes* C. *erat*, *homines*. *eademque* C. *eademque in*. v. 634. *umbra* C. *unda*. vitiose vid. Barth. v. 644. *Coeptis* C. *Cetibus*. quod fortasse ortum ex *Coeptibus*, quod in quibusdam codicibus, notante Barthio, inventum fuit. v. 699. *Patris* C. *patriis*. v. 733. *Aedonos* C. *edomitos*. v. 751. *terrore* C. *temone*. v. 758. *timet* C. *tenet*. recte. ——. *utque aegra* C. *atque aequa*. v. 813. *novam* C. *novum*.

ERRATA TYPOGRAPHICA.

Pag. 2: χορείαις pro χορείας. p. 5. *in Ibin* 421. *utque* pro *in Ibin* 423. *usque* p. 6. *Bell.* pro *Bels.* p. 12. *Virgilii* pro *Vergilli* p. 13. otiosûm pro otiosum p. 32. tego pro lege. abstraxeris pro abstraxerit p. 33. lin. 2. illic pro illis. p. 35. lin. 17. profecta pro profecto. lin. 18. margini pro margine. p. 36. lin. 23. *dipsas* pro *dipsos*. p. 39. lin. 10. ἴτ' pro ἴτ. lin. 22. *fames* pro *tumes*. p. 43. lin. 3. ἀδυνάτως pro ἀδυνάτων. p. 46. lin. 33. facta pro facto. p. 60. lin. 5. custodiant pro castodiant. p. 63. lin. 21. *minas* pro *minax*. & lin. 22. *minax* pro *minas*. p. 71. lin. 1. *prohibebar* pro *probibebat*. p. 75. lin. 2. p. 30. pro p. 20. p. 76. lin. 28. Epod. XI. pro XII. p. 86. lin. 7. *montibus* f. fontibus pro *maribus*. p. 82. lin. 7. vs. 710. pro p. 710. p. 83. lin. 21. vs. 511. pro p. 511. p. 85. lin. 8. indicatur pro indicantur p. 86. lin. 6. iubet pro lubet. p. 88. lin. 13. *vacavis* pro vocavit p. 95. lin. 8. Lindenbrogio pro Lindeborgio.

Ac-

Accidit fortasse, ut, quoniam ipse speciminibus corrigendis praeesse non potui; operarum errores commissi sint complures. Horum ut pro amabili sua humanitate & insigni harum rerum peritia indicem conficiat, & cum viris eruditis communicet vir illustris, atque humanissimus, PETRUS BURMANNUS SECUNDUS, Iuris Utriusque Doctor, Baro Santhorstianus, Historiarum, Eloquentiae, Graecae Linguae & Poeseos in Athenaeo Amstelaedamensi Professor, Bibliothecarius, Gymnasii Visitator &c. *vehementer oro. Cui indici si, ut nuper, fraterculi sui aurituli imagunculam & versiculos, licet eos parum Latinos, licet peccatis metricis, ut stellis, distinctos; tamen quod sperare audemus, multis perfusos conviciis, aut potius lepore & venustate* Burmanniana *affluentes, addere voluerit, virum praestantissimum rem, cum gratissimam nobis, tum sua humanitate elegantiaque dignissimam esse facturum profitemur.*